Rudimentorum RHETORICORUM *Libri quinque.*

Auctore

ROBERTO BRUNO

Præsbytero Scoto.

—— Fungor vice cotis, acutum
Reddere quæ ferrum valet exors ipsa secundi.

ABERDONIÆ,
Excudebat IOANNES FORBESIUS.
Anno Dom. M. DC. LXVI.

John Borthwick
aught this book
the price whereof is
10 sh: st:



Spectatißimo & excultißimo Viro

D. IACOBO BARDÆO,

Equiti ab Auchmedden.

Ditionis Bamfienſis *Prætori dignißimo,*
Urbiſque Bamfiæ *Præfecto clarißimo,*
atque energetæ ſuo dilectißimo;

NEC NON

Conſulibus ejuſdem Urbis vigilantiſsimis, cum cæteris Senatoribus, & civibus univerſis, ſibi quam chariſſimis. S. P. D.

ROBERTUS BRUNUS.

Uum puerorum erudiendorum cura, in ſcholâ veſtrâ *Bamfienſi*, mihi, per aliquot annos, incumberet, nihil prius nec anti-

quius habui, quam ut ij (saltem) tyrones, quibus erat in Academiam transeundum, ita efformarentur, ut, non solum, quæ ab alijs latinè aut dicta aut scripta essent, intelligerent, sed & ipsi sensa mentis suæ promptè interpretari, & (quod maximum est) omnibus prompti oratoris muneribus defungi possent. Quod quàm necessarium sit, nemo melius intelligit, quàm qui etiamnum reminiscuntur, quantam hujus facultatis inopiam aut in alijs viderint, aut in seipsis experti sint, dum olim, in oratiunculis suis componendis, plurimum laboris, at nullo sæpe cum successu, impenderent: laterem [quod aiunt] lavantes, & sub onere molestissimo, cui essent omnino impares, quasi per adversum clivum enitentes. Cui malo

malo quod piſtrinum, quæ carnificina poſsit comparari, ipſi qui experti ſunt dijudicent. Hinc eſt quod Grammaticæ curriculum emenſis Rhetoricæ etiam elementa, dum apud vos eſſem, tam ſedulò inculcaverim. Quâ in re multi ſanè præclari viri, [quos ego quidem valdè ſuſpicio] egregiè operam navarunt. Adeo ut non temeritatis modò, ſed & veſaniæ eſſe dixeris, quicquam poſt illos hiſcere; niſi pro confeſſo habeatur tenellorum diſcipulorum, non ſolùm captui ſed & affectui eſſe conſulendum; qui dictata præceptorum ſuorum, quàm aliorum formulas, ut facilius ex conſuetudine intelligunt, ita & inſtinctu quodam amoris, tanquam lac maternum ex dilectiſsimis uberibus, multò avidius imbibunt. Verùm enim

verò, quod ante in uſus tantum privatos deſtinaveram, nunc cogor in publicum emittere; partim amicorum quorundam [in quibus & vos eſtis] flagitationibus fatigatus, partim ut majus quoddam, quod ingruere videbatur, malum devitarem. Audio enim (& propemodum credo) fœtum hunc abortivum [quem ego quidem ut indignum vitâ jampridem extinctum crediderам] non ſolum adhuc vivere, ſed & diverſiſſimas hujus regni partes perreptare; & auctoris incuriam omnibus deridendam exponere. Hinc eſt quod ſchedas haſce rejectaneas, pulvere & araneis obductas [quippe quæ annos jam plus minus duodevicenos cum blattis & tineis (ut aiunt) rixatæ ſunt] è ſitu & carie excuſſas, de novo ad

incudem

incudem referre decreverim. Quod negotium nemo sanæ mentis inficiabitur me olim potuisse multo & facilius & accuratius perficere, quàm nunc post tam longi temporis desuetudinem. Verùm siquid publicè profuero operæpretium censebitur. Exeat igitur hoc qualecunque opusculum, et vestro se jactet patrocinio; maximè autem tuo, *Clarissime Domine*: cujus favor quantum emolumenti adferat abunde testatur præsens urbis Bamfiae status florentissimus: quæ tuis, et *Patris tui*, nunquam satis memorandi, auspicijs, adeo in melius immutata est ut vix agnoscas eandem esse. Cui ego ut in præsens gratulor, ita et in posterum non desinam omnis felicitatis incrementum etiam atque etiam precari. Salvete et valete.

Ad Eoſdem
EPIGRAMMA.

PIgnora ſunt nati; ſed ſunt quoque pignora libri:
Inditur ingenium & nomen utriſque patris.
Pignora conjugij nati ſunt: inter amicos
Pignora amicitiæ ſunt quoque ſæpe libri.
Si natis liber iſte meis acceſſerit, idem
Primitiæ ſobolis pignus amoris erit.
Maximus hic natu eſt, reliqui quẽ jure ſequuntur.
Hic veſter; veſtra eſt cætera progenies.
Et liber hic vivum quum me poſt funera reddet,
Quum reddet vivum cætera progenies;
Inque illis, illove legar: dicetis, ut olim
Hic fuit, æternum noſter habendus erit.
Vos eſtote meis natiſque libroque patroni:
Hæc morientis erunt ultima vota patris.

Robertus Brunus.

PRÆ-

PRÆCEPTORI SUO SUMmopere obſervando MAGISTRO ROBERTO BROWNÆO, Paſtori Forglenenſi, Magiſter Alexander Setonus Verbi Divini præco Bamfienſis, S. P. D.

EGO *hæc tua* RUDIMENTA RHETORICA, (*vir excultiſſime, Præceptor ſummopere obſervande*) *ad me tranſmiſſa, ſummâ cum voluptate ſemel atque iterum perlegi: mihique memoriam refricari eorum lectione quæ te olim docentem audiveram perquam jucundum fuiſſe ſeriò profiteor. Atque ut de hoc tuo opere* (*quantitate quidem molis parvo, ſed virtutis maximo*) *abſque aſſen-*

assentatione dicam quod sentio, lector doctus, benevolus & attentus limatum, nî fallar, & optimâ methodo exornatum pronunciabit; eique multum solidítatis absque verborum lenocinio inesse, atque in eo brevitatem cum perspicuitate, ac utilitatem cum jucunditate certare comperiet: nam instar tapetis à Minervâ in certamine cum Ariadnè contexti, aut horti Solomonis floribus variegatis, gratissimum odorem spirantibus refertissimi, opus hoc exemplis cum sacris tum profanis mirum in modum depingitur: summo etiam artificio omnia præcepta Rhetorices, uno exemplo per omnes ejus locos variato, velut filo aureo telæ pretiosæ intertexto adornantur ac illustrantur. Nullusque dubito quin tuus hic labor, quem tandem in lucem prodire ac publici juris fieri permittis [quod ut faceres ego inter alios tibi suasor fui]

plurimis

plurimis sit futurus gratissimus; præsertim humaniorum literarum professoribus, eloquentiæ studiosis & sacri Ministerij candidatis: ac literatos de hâc Rhetoricâ judicaturos esse confido dignam esse ut in Scholis publicè doceatur, & in humanioribus literis provectiorum manibus teratur. Sic censet

Tui observantissimus
discipulus,

Mr. ALEXANDER SETONUS.

Datum Bamfiæ
ex Musæo meo
1666. Mar. 14.

REVE-

REVERENDO IN CHRISTO, Fratri, M. AL. SETONO, Presbytero Bamfiensi, Salutem.

QVÆ mihi perlegenda tradidisti (*Reverende Frater*) *ornatissimi M. Roberti Bruni* Rudimenta Rhetorica *perspexi & recensui. Quod si quidquam apud literatos meum valeret judicium, intrepide dixerim, hæc Rudimenta ex præstantissimorum Rhetorum officinis excerpta, legitimâ methodo disposita, multifarijs, cum sacrarum literarum, tum classicorum Authorum exemplis comprobata, & industriâ singulari, curâque laudabili concinnata; digna esse quæ typis excusa divulgentur, in scholis prælegantur, ac non modo à rudibus & tyronibus, sed & studiosis Philosophiæ & Theologiæ evolvantur. Vt quod serìo sentio sincerè dicam, in hoc Enchiridio parvo (& tamen magno) multum non multa,* καινα καινῶς

præ-

præcepta Rhetorices in unum faſciculum redacta, copiosè, integrè, methodicè ac ſolidè propoſita, illuſtrata & adornata comperi. Hic Thematum varietatem, Argumentorum cellulas, Figurarum & Troporum delicias, Suadæ medullam, & (quæ

Non bene conveniunt, nec in unâ ſede morantur)

Brevitatem & Perſpicuitatem, ſe mutuò complectentia, liquidò percepi. Cui ſuffragio non dubito quin quilibet emunctioris naris lector, (ſi hæc adjudicij ſubacti trutinam diſcutiat) calculum ſit additurus. Authorem, loci è ſacrâ paginâ allegati, dicta & exempla, veram Religionem redolentia, arguunt Theologum in ſacris literis verſatiſſimum. Ipſa vero præcepta, authorum ſententijs variegata, demonſtrant Rhetorem in humanioribus literis Magiſtrum. De quo ejuſq; opere effari auſim

Omne tulit punctum *quia* miſcuit utile dulci.

Apelles hic vivam Rhetoricæ, terrarum Reginæ, imaginem, pigmentis, ex clariſſimorum Oratorum, Iſocratis, Ciceronis & Quintiliani arculis depromptis depinxit, & publicè ſpectandam (ſi me audiat) exhibebit. Amabo (mi Frater) ei

calcar

calcar addas, & vel celeuſmate efflagites, ut hæc Rhetorices elementa, ultra Horatij novennium hactenus ſuppreſſa, ſint tandem impreſſa, & in lucem educta: utpote in publicum Eloquentiæ ſtudioſorum emolumentum ceſſura; & compluribus doctis gratiſsima futura. DEVM ſupplex veneror, ut te Eccleſiæ ſuæ diutiſsimè incolumem præſtet: & ſanctis tuis laboribus cumulatiſsimè benedicat. Vale, meq; uti ſoles dilige, qui ſum

Tui ſtudioſiſſimus,
GUL. BURNETUS.

Dabam Coloniæ
4. Kal. Maij 1666.

Rudi-

1. Rudimentorum

RHETORICORUM.

Liber Primus.

De materia Rhetoricæ.

CAP. I.

De natura & partibus Rhetoricæ.

2. RHetorica est 3 ars 4 benè de re 5 quâlibet 6 dicendi. 7 Materia tractata est res quælibet: Modum tra-

tractandi innuit τὸ bene.

De materiâ agemus libro primo, de modo sequentibus, quàm poterimus [8] brevissimè.

1. Meritò Rudimenta dicuntur, ut quibus nihil aliud propositum sit quàm ut humi serpant, & facillima Rhetorices elementa, tanquam lacticinia, teneris puerorum animis ingerant; non autem ut criticis satisfaciant ingeniis.

2. Dicta vel a ῥέω ῥεύσω fluo (ut quidam volunt quia Rhetoricæ auxilio fluit orator, ut quondam ille *quem mirabantur Athenæ torrentem & pleni moderantem frænа theatri.*) vel potius a ἐέω ἐήσω dico unde ἐήσις & ἐήτος derivantur.

3. Ergo etsi naturam requirit, non tamen naturâ perficitur, sed eam potius quantumlibet imperfectum perficit. Nam *Fimus oratores, nascimur poetæ.*

4. *Id est persuasoriè.* Est enim Oratoris (quem

(quem informat Rhetorica) imprimis persuadere; docere autem non nisi quatenus id persuasioni inservit. Porro ad bene dicendum pertinet & *promptitudo*, ut possis extempore dicere: qualiter Neronem Imperatorem instituit Seneca: ut videre est in egregio illo specimine quod extat apud *Corn. Tacitum*, *lib.* 14. *cap.* 14.

5. Ergo sive futurus es Poëta, sive Philosophus, sive Iuris-peritus, sive Theologus, quodcunque subjectum tractaturus, de quacunque re dicturus, scripturus, magistram semper habebis Rhetoricam.

6. Non solùm loquendi, sed & scribendi: sic enim dicunt absentes, muti, mortui.

7. Quod vocatur etiam Subjectum, vel Objectum, vel Res tractata, vel Thema, vel Quæstio.

8. Ita tamen ut perspicuitati etiam studeamus. Hinc enim Scylla, non minus quàm illinc Charybdis naufragium tyronibus minatur. Unde Poëta

Brevis esse laboro, obscurus fio.

CAP. II.

De Themate.

THEMA (quod & [1] Materia, sive [1] Quæstio dicitur) est,

Primò, [2] Simplex, vel [3] Conjunctum.

Secundò, [4] Speculativum, vel [5] Practicum.

Tertiò, [6] Infinitum, vel [7] Finitum.

NOTA. *Conjunctum, Practicum, Finitum tractat Rhetor principaliter: Simplex vero, Speculativum & Infinitum vocat*

Qua-

Quæstiones incidentes.

Quartò, Subſtantia, vel Accidens. Subſtantia autem eſt [8] Perſona, vel [9] Res. Accidens vero, vel [10] *Qualitas*, vel [11] Relatio, vel [12] Actio, vel [13] Paſsio.

1. Quatenus eſt ſubjectum orationis vocatur Materia: quatenus proponitur tractandum eſt Thema: quatenus vocatur in dubium Quæſtio dicitur. E. gr. Sit Materia *cultus Angelorum*. Si proponatur ſic, *Angeli non ſint colendi*, eſt Thema. Si ſic, *Quæritur utrum colendi ſint Angeli*, eſt Quæſtio.

2. Ut homo, equus, lapis, virtus, bonitas, ebrietas.

3. Ut homo eſt mortalis. Equus eſt neceſſarius. Lapis eſt gravis. *Virtus clara æternaque habetur*. Salluſt. *Pietas eſt lucrum*. 1. Tim. 6. 5.

4. An Deus ſit æternus. An Angeli

fecerint mundum. *An ſit SS.* Act. 19. 2. *An Chriſtus ſit Filius Dei.* Matth. 26. 63.

5. An ſancti ſint invocandi. An fides ſervanda hæreticis. An faciendum malum, ut bonum eveniat. *Licet cenſum dare Cæſari, an non?* Matth. 22. 17. Act. 15. 6.

6. Homo, Angelus, equus, canis. Item, hominem interficere. Angelos colere. Equos domare. Canes alere.

7. Clodius, Gabriel, Bucephalus, Lelax. Item, utrum Milo jure interfecerit Clodium. An Ionathan debeat mori. 1. *Sam.* 14. 45.

8. Petrus, homo, Angelus, Deus, diabolus.

9. Equus, taurus, Bucephalus, lignum, lapis, navis, arbor, anſer.

10. Adoleſcentia, ebrietas, fortitudo, albedo, magnum.

11. Pater, ſervitus, regnum, creatura, matrimonium, amicitia; officium præceptoris, diſcipuli, regis, ſubditorum, herorum, liberorum, proximorum, nutricum, &c.

12. Crucifixio Chriſti, interfectio Clodii, ſtupratio virginis, adulterium Davidis. Recténe Sampſon ſibi mortem conſciverit.

13. Paſ-

13. Passio Christi, stupratio virginis, vide 2. *Cor.* 11. 23. 24. *&c. Heb.* 11. 36.

CAP. III.

De Generibus Causarum.

POTEST [1] unumquodque horum thematum tripliciter in oratione tractari, secundum triplex causæ genus, [2] Demonstrativum, [2] Deliberativum, [2] & Iudiciale.

[3] Demonstrativum est quo quæritur sitnè aliquid laudandum aut vituperandum.

[4] Deliberativum est quod quærit sitne faciendum

aliquid an fugiendum.

5 Iudiciale est quo quærimus sitnè aliquis absolvendus an condemnandus.

1. V.g. *Homo.* In Demonstrativo sic. Homo est creatura nobilis; vel, Homo est vanitas. In Deliberativo sic. Homo non est colendus, timendus. Nulla spes in homine collocanda est. In Iuridiciali sic. (in thesi quidem) Homo non est damnandus inauditâ causâ. (in hypothesi vero) Christus est crucifigendus. Milo est absolvendus.

2. Demonstrativum laudat aut vituperat, plerumque *præsentia.* Deliberativum suadet aut dissuadet (non quâ ratione suadere est probare, hoc enim est omnibus causis commune: sed quâ significat consilium dare, ut suadere conjugium, pacem, bellum, &c.) tantum *futura.* Iuridiciale accusat aut defendit *præterita.* Primum habet pro fine *honestatem*, Secundum *utilitatem*, Tertium *justitiam.* Affectus movendus in Primo est *delectatio*; in Secundo

Secundo *ſpes* aut *reformidatio*; In Tertio *clementia* aut *ſævitia*.

3. Exempla hujus generis occurrunt innumera, Perſonarum quidem, 2. *Sam.* 1. 19. Rerum verò cum Subſtantialium, *Apoc.* 21. 16. tum Accidentalium, ut Qualitatum, *Heb.* 11. 1. *&c.* 1. *Cor.* 13. 1. *&c.* Relationis, *Heb.* 13. 4. Actionum, 2. *Sam.* 18. 7. Paſſionum, *Matth.* 27. *Act.* 7 ſubtinem. Atque hæc ex Sacris. Ex profanis autem colliges Panegyrica, Epitaphia & Encomiaſtica, qualia apud Martialem extant quamplurima: Ut & alibi, Perſonarum quidem. *Horat. Carm.* 1. 12. Rerum vero cum Subſtantialium, ut Clypei à Vulcano fabricati, *Virg. Æneid.* 8. Tum Accidentalium ut Qualitatum. *Hor. Epod.* 1. 5. *Quid non ebrietas*, &c. Relationis, *Virg. Ecl.* 8. *Mopſo Niſa datur.* Actionis, *Virg Æneid.* 5. *Olli diſcurrère pares.* Paſſionis, Idem *Æn.* 6. *Necnon & Tition*, &c.

4. Exempla ſunt 1. *Reg.* 12. 6. 2. *Sam.* 17. 1. *Gen.* 3. 1. & innumeris hujuſmodi locis, ubi deliberatur de rebus faciendis aut fugiendis. Quo pertinent Exhortationes omnes, & Dehortationes, ut & Conſolationes, Præcepta

& Consilia. Quale est consilium Annæ. *Virg. Æn. 4. Solanè perpetuâ* &c. Sic *Horat. Carm. 9. 9. Non semper imbres,* &c. Exhortatio Iugurthæ ad milites. *Salust. bell. Iug.* Consilium Horatij ad Pollionem, *Carm. 2. 1.* ad Mecænatem, *Carm. 2. 12.* sic *Virg. Æn. 4. Si te nulla movet,* &c.

5. Exempla sunt, 1. *Sam. 14. 44. 45. Matth. 26. 65. 66. 1. Sam. 11. 12. 13. Ios. 22. 16. 21.* Vide Orationes Ciceronis pro Milone, & alijs: Orationem Cassij contra servos Pedanij apud Tacitum, *lib. 14. c. 12.*

CAP IV.

De Statibus.

IN causis [1] Juridicialibus, seu controversijs de jure, videndum semper quis sit controversiæ [2] status.

Status

Status autem est quadruplex.

Primò [3] Conjecturalis, quo quæritur ecquid [3]fiat [3]factum aut [3] futurum sit.

Secundò [4] Finitivus, quo quæritur quo nomine vocari debeat id quod factum est.

Tertiò [5] *Qualitatis*, quo quæritur quale sit id quod factum est, bonúmne an malum.

Quartò [6] *Quantitatis*, quo quæritur quantum sit, magnúmne an parvum.

NOTA. *Status aliquando in eâdem oratione est multiplex:*

isque vel [7] ejusdem generis, vel [8] diversorum.

Atque hactenus materia tractata.

1. In hoc genere quidem plerumque; etsi nonnunquam in alijs etiam. Ut in Demonstrativo, utrùm Christus sit vir bonus: in Deliberativo utrùm tributum sit dandum Cæsari.

2. Qui resultat ex accusatoris Intentione seu Accusatione, & defensoris Depulsione seu Defensione. Quæ duæ observandæ sunt in singulis exemplis infra positis, cum duabus etiam quæstionibus incidentibus quæ has duas principales concomitantur; viz. defensoris Ratione & accusatoris Firmamento.

3. Ut (*de præsenti*) Accusatio est, Christus habet dæmonium, Depulsio, non habet. Firmamentum accusatoris. facit opera dæmonis. Ratio defensoris. Dæmon non dividitur contra se. *Matth.* 12. Sic, es discipulus Christi: nam loquutio tua id arguit. Respondetur, non sum: Nam non novi hominem.

Sic

Sic (*de præterito*.) Surripuisti Deos meos (*Gen.* 31.) Nam alius nemo fuit qui eos surriperet. Resp. Non surripui. Nam alienum apud me nihil invenire est. Sic (*& de futuro*) 1. *Sam.* 29. David erit adversarius. Nam sic regem sibi conciliabit, Resp. Minime, Nam, &c.

4. Ex gr. (Accusatio.) Es sacrilegus. Nam surripuisti sacra R. Non vocabis sacrilegium, sed furtum. Nam non surripui quicquam ex ærario sacro. Sic, es adulter; Quia concubuisti cum uxore alieni. R. Non sum. Nam ipsa se sororem non Uxorem vocaverat. *Gen.* 12. 12. & 20. 3. 5. 12. Sic *Ios.* 22. Struximus altare. At non sumus idololatræ: Quia in usum struximus non sacrum, sed sæcularem.

5. Ut occidisti Clodium. R. Ita: sed jure. Status ergo controversiæ est de qualitate facti, sitne justum an injustum. Sic, occidisti hominem. R. Ita, sed non sponte. Ita, sed alio impulsore. *Act.* 11. Ingressus fuisti ad præputiatos. R. Ita: sed jubente Domino.

6. Ut, longè maximum fuit Protoplastorum peccatum: Depulsio: An ita magnum fuit peccatum de pomo edere? Firmamentum: Imo

Imo maximum. Quia in re minimâ & facillimâ non obediverunt mandato. Quid enim si gravius quiddam & magis arduum præcepisset Dominus? Sic peccatum Gibeonitarum non fuit magnum, quia ideo mentiti sunt ut aliud majus malum evitarent. Vide 1. *Sam.* 14. 45.

7. Ut quum quæritur utrùm Verres pecuniam acceperit à Leonidâ ab Apollonio, & à Mamertinis.

8. Ut quum quæritur de eo qui fatetur se interemisse hominem, Primo, utrùm jure eum interemerit: (qui est status qualitatis.) Deinde utrùm pecuniâ eum spoliaverit, quod ad Conjecturalem pertinet.

LIBER SECUNDUS.
De Inventione.

CAP. I.
De Argumentis.

Modus tractandi continet 1.[1] Inventionem. 2.[2] Disposi-tionem. 3.[3] Elocutionem. 4.[4] Pronunciationem.

Invenienda sunt[5] argumenta inservientia 1.[6] Explicationi thematis Simplicis:

2.[7] Probationi Complexi.
3.[8] Amplificationi utriusque.

In hos fines argumenta primo [9] colligantur quàm plurima; Deinde [9] eligantur aptissima.

1. Libro secundo.
2. Libro tertio.
3. Libro quarto.
4. Libro quinto.

5. Quæ res maximè torquet imperitos. Quivis enim facilè inveniet thema. Nam quid non possit esse thema sive subjectum orationis? In universâ rerum naturâ nihil est de quo non possit haberi oratio. Potes verba facere de re quâlibet. Sed scire quid dicendum sit de eâ re; invenire argumenta quibus possis illam rem, illud subjectum, ad justæ orationis mensuram dilatare, hoc opus, hic labor est. Igitur toto hoc libro secundo agetur de argumentis inveniendis: ut habeas quod dicas de

quolibet ſubjecto, ſive mons fuerit, ſive muſca.

6. In quâ tria ſunt attendenda ad analyſin potius quam ad compoſitionem pertinentia: viz. 1. Signum quo denotatur locus unde eruitur iſtud argumentum. 2. Simplices termini, ſeu voces. 3. Terminorum conjunctio. quæ dicitur diſpoſitio axiomatica. v. g. *Hominis creator eſt Deus.* Ubi Thema. viz. Homo illuſtratur argumento explicationis quod ſumitur ex loco cauſæ efficientis. In quâ Illuſtratione. 1. Nota ſeu ſignum cauſæ eſt Creator. 2. Simplices termini ſunt Deus, Homo. 3. Diſpoſitio axiomatica. Deus eſt creator hominis.

7. Qnum thema confirmatur & probatur tali axiomate, interpoſitâ particulâ *quia, nam,* &c. Ut, homo eſt bonum quid, quia ejus auctor eſt Deus. Atque hæc analyſi, compoſitionique juxta inſerviunt.

8. Idque adminiculo. 1. Oppoſitionis, 2. Collationis, 3. Conglobationis. 4. Auctoritatis. Quæ etiam cum ad compoſitionem, tum ad analyſin pertinent. Atque hæc omnia capite ſequenti luce clarius patebunt.

9. Quo-

9. Quorum prius pertinet ad partem inventionis generalem, capitibus 8. posterius ad specialem, capitibus reliquis, ad finem libri.

CAP. II.

De Causis.

COlliguntur autem argumenta ex locis: quorum plerique sunt [1] Dialecticæ cum Rhetoricâ communes: pauci Rhetoricæ proprij.

Prioris generis sunt [2] hi.

Primo Causa, quæ est quadruplex.

1. Efficiens: quæ est vel [3] Procreans, vel [4] Conservans, vel [5] Corrumpens, vel [6] Solitaria

taria, vel [7] Socia, vel [8] Principalis, vel [9] Instrumentalis, vel [10] Naturalis, vel [11] Voluntaria, vel [12] Coacta, vel [13] Inscia, vel [14] Remota, vel [15] Proxima.

2. [16] Materia; quæ est vel [17] Remota, vel [18] Proxima.

3. [19] Forma: quæ est vel [20] Interna, vel [21] Externa.

4. [22] Finis: qui est vel [23] Ultimus, vel [24] Subordinatus.

1. Errant qui putant hos locos ad Rhetoricam non pertinere, sed ex Dialecticâ petendos: Diverso enim respectu non minus ad Rhetorem quàm ad Dialecticum pertinent: ut vox ad Musicum, ad Rhetorem, ad Medicum, & ad Philosophum naturalem.

2. In unoquoque horum invenies omnia illa quæ superiori capite, in scholijs 6, 7. 8.

attigimus: viz. tria ad Explicationem, unum ad Probationem, quatuor ad Amplificationem pertinentia, quæ in summâ sunt octo. Quorum singula singulis literis alphabeti hoc ordine notabimus. A. 1. B. 2. C. 3. D. 4. E. 5. F. 6. G. 7. H. 8. Ut in exemplis videre est sequentibus.

3. A. Pater, Mater, Genitor, Genitrix, Conditor Ædificator, Opifex, Inventor, Institutor, Auctor. Produci, Gigni, Generari, Condi, Inveniri, Institui, Nasci, Originem ducere. Promanare ab aliquo. B. Deus, homo. Solon. Lex. Faber, scamnum. C. Deus creavit hominem. Homo factus est à Deo. Cathedram fecit faber lignarius. Virgilius scripsit Bucolica. Diabolus est auctor peccati. D. Homo est honorandus, quia est creatura Dei. Peccatum est abominandum quia est opus Diaboli. E. Auctor hominis, non est Angelus, non terra, non aqua, nec alia aliquacreatura, sed Deus. *Non ego, sed peccatum.* Rom. 7. 17. *Non ego, sed gratia.* 1. Cor. 15. 10. F. Si laudabis poculum, quia ab Alcimedonte factum; si Labyrinthum quia Dædalo ædificatus fuit, quid de homine dicen-

dicendum, quem omnium artificum artifex ipse Deus Opt. Max. suâ manu fabricavit? G. Omnis homo, quantumlibet abjectus, est suis parentibus oriundus, illi iterum suis, & illi suis, usque ad primum hominem, qui est pater omnium: at unde ille? scilicet ab ipso Deo: qui non solum primos parentes condidit, sed & potentiam allos procreandi ijs indidit: quæ ad Irum non minus quam ad Crœsum permanavit. Cave igitur despicias quenquam hominem; sic enim ipsius Dei opus despicis. H. Si dubitas de auctore hominis, nec fidem mihi super eâ re adhibes: vide testimonium ipsius Dei, in initio Geneseos, & alibi passim in sacrâ paginâ.

4. A. Conservator, Patronus, Instaurator, Custos, Vindex, Renovator, Amplificator, Confirmator, Enutritor, Educator, Conservare, Patrocinari. Instaurare, Custodire, &c. B. Deus, Ecclesia. Deus, homo. Rex, fides. S. S. fides. Patronus, Cliens. Mecænas, Horatius. C. Mecænas patrocinatur Horatio. Rex est fidei defensor. Deus conservat Ecclesiam. Angeli castrametantur circa Sanctos. Deus habet rationem hominis

minis. D. Eſt ſanè quòd glorietur homo in Deo, cujus providentiâ omnia bona ei ſuppe-diantur, omnia mala depelluntur. *Non cave-bo non timebo : Deus eſt cuſtos meus. Pſal.* 23. E l'anti facit hominem Deus, ut ejus patroci-nium non ipſi homini, non Angelis, non cu-juſquàm creaturæ, vel potentiæ, vel ſapientiæ commiſerit, ſed ipſe ſibi aſſumpſerit: ſéque hominis cuſtodem dicere non dedignatus fue-rit: imo & patronum agere tam ſedulum, ut ſine ejus providentiâ ne pilus quidem poſſit de capite hominis cadere. F. Hominem tuen-tur arma, exercitus, propugnacula, ſua ipſius ſolertia, vires, ſapientia: aliorum quoque ho-minum favor, vota, conſilia (quibus omni-bus quam valde ſuperat alia animalia!) ve-rùm enim verò unum eſt longè maximum atque inexpugnabile ejus propugnaculum, quo imprimis ſe tutum ac felicem jactitet, quòd nimirum Dominus exercituum ſe ei ex-cubiturum pollicetur. G. Vulgus hominum cuſtodiunt Reges: ipſos autem Reges tuentur exercitus: Exercitibus excubant Vigiles; porro ipſos vigiles & exercituum duces ſæpe tutantur Angeli: At unus omnium cuſtos,

vinde

vindex & conſervator ſupremus eſt Dominus Iehova. H. Cujus rei veritas, ut clarius innoteſcat videamus quid ſuder eâ re teſtetur Spiritus S. per es Prophetæ. *Pſ.* 127. 1. 2.

5. A. Occidere, Interimere, Deſtruere, Clades, Mors. B. Diluvium, animalia. Ignis, Troia. Vetuſtas, manufacta. Tinea, veſtes. Mus, caſeus. C. Mus rodit caſeum. Ignis conſumit glebas. Peccatum deſtruit imaginem Dei. D. Quum intuemur hominem, videmus egregium illud opus., quod nemo niſi qui id primus fabricavit artifex diſſolvit. Partes ſui operis ſolus Deus Opt. Max. diſjungit; ſolus animam à corpore ſeparat, ut eadem ſuo tempore tanto elegantius conjungat. E. Quid? an homine deſtruat homo? an gladius? an feræ? aut ulla alia creatura? Ne dixeris. Nam nec ignis, nec aqua, nec ferrum, nec leones imo nec diabolus nec ipſo diabolo potentiores Angeli electi poſſunt, ſi maxime vellent, vel pilum de capite ejus detrahere, niſi permittente & jubente Domino. F. Ut nodum Gordium non quilibet potuit diſſolvere, ita nec animam hominis poteſt quilibet à corpore ſeparare. G. Hominem

enecat gladius, ſed is ab homine movetur. Hominem enecat homo, ſed auctore & impulſore diabolo. Hominem enecat diabolus, ſed non niſi miſſus à Deo. Quanti igitur faciendus eſt homo, cujus ut vitam, ita & mortem curat tam diligenter Deus, ut eam nulli creaturarum committat? H. Cujus rei lucu. lentum habemus teſtimonium. 1. *Sam.* 2. 6. *Am.* 3. 6.

6. A. Solus, A ſolo, Non aliunde. Non niſi. B. Deus, creaturæ. Fides, juſtificatio, Chriſtus, redemptio. C. Chriſtus ſolus redemit Eccleſiam. *Iſ.* 63. 3. Deus ſolus creavit, conſervat & deſtruit hominem. D. Hoc cine hominem commendat, quod vita ejus non cuiquam creaturarum, ſed ſoli Deo accepta ferenda eſt? E. Alias creaturas produxit Deus, partim miniſterio aquæ, ut piſces & aves: partim miniſterio terræ, ut feras: At in homine formando, nec aquæ, nec aëris, nec aliarum creaturarum, imo nec ipſorum Angelorum uſus eſt miniſterio, auxilio, conſilio: ſed ipſe ſolus ſuis manibus corpus ex terrâ formavit, & naribus ejus ſpiraculum vitæ inſpiravit. F. Solent artifices, ſi quid

operis

operis faciunt majoris momenti, id non famulis efformandum committere, sed suis ipsi manibus fabricare: ita Deus creaturarum Dominum, opus illud pretiosissimum, voluit non nisi suis ipse manibus effingere. G. Ipse solus animam ejus & corpus formavit; formata solus in unum hominem conjunxit: conjuncta solus præservat; servata solus suo tempore, per mortem, dissolvet: dissoluta solus tandem rursus conjunget; Ut integer homo, in aquilæ morem renovatus, æternâ felicitate fruatur. H. Testimonium extat, *Gen.* 2. 7. & alibi.

7. Non solus, Ambo, Duo, Tres, Omnes, Con. B. Natura, ars, exercitatio, fieri artificem. Mas & fœmina, proles. Iudæi & Pilatus, crucifixio Christi. C. Sol & terra producunt herbas. Pater & mater gignunt puerum. D. F. Quemadmodum Arcadiæ aprum oportet fuisse ingentem belluam, quia universæ propemodum Græciæ proceres ad eum opprimendum convocati sunt: ita & hominem, creaturarum dominum vehementer commendat, quòd ad ejus victum & amictum, vitam & voluptates suppeditandum, conser-

vandum ac defendendum Universa rerum natura (sic Deus voluisti) conspirat. E. Non unum, non duo, sed omnia. F. Ut in magnâ aliquâ familia, omnes famuli conspirant ad suppeditandum omnia illi, quem sciunt esse charum patrifamilias: ita in magnâ hâc familia (mundum intelligo) omnes creaturæ homini student. G. Concurrunt cœlum & sidera; lucem, calorem & pluvias demittendo; terra; fruges, herbas arboréſque producendo: mare; pisces ad pastum suppeditando: Oves quoque & boves, & cæterę creaturę; partim victum, aut amictum, partim voluptates etiam deliciásque præbendo. H. *Psſ.* 8. 5. *&c.*

8. A. Coryphæus, Daduchus, Antesignanus, Princeps, Dux, Fons, Caput, Radix, Alpha. B. Deus, custodia hominis. C. *Dominus est lux & salus. Psſ.* 27. 1. id est principalis causa consolationis & salutis. D. Hoccine hominem imprimis elevat, quòd quæcunque ab alijs creaturis suppeditantur, ea non nisi jussu ipsius Patris-familias adferant. E. Dicant igitur inferiores causę, *non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo sit gloria. Psſ.* 115. 1. F. Quemadmodum in horologio machi-

machinali, omnes rotulæ à prima rota circumaguntur: & ſphærarum cœleſtium, quæ inferiores ſunt, eæ à primo mobili in orbem rotantur: ita omnes creaturæ, dum ſalutis humanæ ſatagunt, à primo motore Deo dependent, ejuſque nutum ſequuntur. G. Fruges & herbæ naſcuntur ex terrâ; terra rigatur a nubibus; nubes è mari extrahuntur virtute ſolis: at quæcunque facultates inſunt omnibus iſtis creaturis; quæcunque bona per eas ad hominem tranſmittuntur, ea omnia a ſcaturigine omnis boni proveniunt, qui eſt ipſe Deus. H. *Hoſ.* 2. 21.

9. A. Media, Organum, Inſtrumentum, Miniſter, Adjumentum, Opera, Per, Ablativus inſtrumenti. B. Calamus, litera. C. G. Deus per verbum ſuum glorioſum, miniſterio etiam Angelorum, imo & filij ſui unigeniti operâ, ſalutem humanam promovet. D. Hoc eſt quod hominem magnopere decorat quòd tam multa, tam magnifica inſtrumenta in promovendâ ejus ſalute adhibeantur. E. G. Uſus eſt Deus in hoc opere perficiendo, non fucatâ hominum eloquentiâ, non inani verborum ſeſquipedalium ſtrepitu; ſed ſanctiſſimo

ſuo

ſuo verbo: quod quantumlibet ab impijs & profanis hominibus negligatur & floccifiat, tamen apud ſanctos & habetur & eſt, *non gemmis neque purpurâ venale nec auro.* Ibi enim ſalutis noſtræ myſterium abundè revelatur: quam perfecit, non angelus quiſquam, aut ulla alia creatura, ſed ipſe Dei filius. Qui nos, *non caducis rebus, argento vel auro, ex vanâ noſtrâ converſatione redemit; ſed pretioſo ſuo ſanguine*, quem pro nobis in cruce profudit. F. Scilicet ut terreſtres reges, eorum negotiorum, quæ majoris ſunt moliminis, curam & adminiſtrationem, vel Proceribus, vel ſuis etiam filijs committunt: Ita Rex regum Iehovah delicias ſuas (hominem putâ) voluit a præſtantiſſimis ſuis miniſtris, imo a Filio ſuo unigenito procurari. D. G. Ecce quam magno in pretio ſint homines apud Deum (quo honore quid poteſt majus cogitari?) omnia Dei inſtrumenta, omnes domeſtici, creaturæ omnes in promovendo ejus bono exercentur; mare, terra, cœlum, imo & angeli, &(quod omnium maximum eſt) ipſe Dei Filius unigenitus Ieſus Chriſtus. H. Confert *Ioan. 3. 16. 1. Cor. 3. 21. 22. Rom. 8. 28.*

10. A. Naturâ. Neceſſario, Immutabiliter. B. Ignis, combuſtio. Sol, lux. Decollatio, mors. Anima, ratiocinatio. D. Miramur unde ſit in homine, præ cæteris animantibus, tanta ratiocinandi dexteritas. Atqui non poteſt aliter ſe habere: eſt enim homo præditus animâ rationali; unde hæc facultas neceſſario promanat. E. G. Non fluit hæc facultas a corpore; ſic enim ratiocinarentur lapides: non ab animâ etiam vegetativâ; ſic ad ratiocinandum inſtructę eſſent arbores & plantæ: neque ab animâ ſenſitivâ; quæ eſt belluis cum homine communis: ſed ab anima tantum rationali, qua homo inter cætera eminet animalia *velut inter ignes luna minores.* F. Æquè neceſſariò ratiocinatur homo, ac ſol neceſſariò lucet: ut enim glorioſæ illi creaturæ inſita eſt vis quędam nativa, quæ lucem non poteſt non producere, ita & homini, quæ eſt creatura longè prędantior, conſimilem indidit natura vim qua neceſſario ad ratiocinandum inſtruitur. G. Habet homo linguam, habet dentes, labra, pulmones, & alia loquendi inſtrumenta; habet & animam quoque rationalem; cum naturali quadam

ratio-

ratiocinandi facultate: Ne igitur miremur ſi eum, vel loquentem, vel ratiocinantem etiam ac de rebus maximè arduis diſſertantem audiverimus. H. Teſtes ſunto Philoſophi.

11. A. Facere voluntate, Lubens, Conſilio, Liberè, Libenter, Promptè Sponte, Proprio motu, Ex compoſito. B. Deus, creatio hominis. Chriſtus, redemptio. S. S. ſanctificatio. C. Chriſtus *deponit vitam per ſe ipſum. Io.* 10. 18. D. Diabolus eò magis damnandus eſt, quia ſuâ ſponte peccat. E An tenebatur Deus Chriſtum mittere? An fuit bonis hominum operibus obligatus? minime: ſed ſua ſponte fecit. F. Ut ſuâ ſponte liberat amicus amicum; ita nos Chriſtus, amore tantum impulſus, ab æternâ morte liberavit. G. F. Inter innumera humani generis ornamenta, unum eſt quod nec ipſi Angeli poſſint de ſe prædicare: nempe quòd omnes ſacroſanctæ Deitatis perſonæ tam inſignia ſpontanei amoris documenta in eo redimendo ac ſervando ediderint. Pater *ita dilexit* hominem, *ut filium ſuum unigenitum*, ad eum redimendum, ſponte *tradiderit*: Filius, pro homine, non coactus, ſed ſponte vitam deponendo

nendo, id ex amore præſtitit, quod quotuſquiſque amicus pro ſuo amico præſtiterit: Sp. S. quoque ineffabilem ſuam erga genus humanum benevolentiam, in eo exprimit, quòd non ſolum inter homines verſari, ſed & in ijs habitare dignatur. H. Teſtor Ioannem Evangeliſtam *c* 3. 16. & 15. 13. & Apoſtolum Paulum. 1. *Cor.* 3. 16.

12. A. Coactus, Vi impulſus. B. Lucretia, ſtuprum, Simon Cyrenæus, bajulatio crucis. C. Simonem coegerunt bajulare crucem. D. Tamaræ inceſtus fuit excuſandus, quia Amnon eam ſtupravit invitam. E. *Italiam non ſponte ſequor*, ſed monentibus & cogentibus Dijs. *Virg. Æn.* 4. F. Ut navem, rectâ in portum tendentem, abripiunt procellæ: ita hominem dum naturâ in bonum collimat, ſæpe in malum detorquent tentationes diaboli. G. Hunc ad peccandum adigit paupertas, illum magnorum virorum imperium, alios aliæ tentationes & illecebræ, quæ, quantiſper hic vivitur, occurrunt innumeræ. H. Homo naturâ appetit bonum, inquiunt Philoſophi: ergo dicant ijdem quòd in malum non niſi coactus & reluctante naturâ retrahitur.

13. In-

13. Inscius, Ignarus. B. Paulus, persecutio Ecclesiæ. Actæon, visio Dianæ. C. *Inscius Actæon vidit sine veste Dianam.* D. Excusanda est Pauli persecutio, *Nam ignorans faciebat.* 1. *Tim.* 1. 13. E. Non de industria sed, &c. F. Ut viator sæpe inscius pedem ad offendiculum allidit; ita & hoc ego, adversum te, inscius & imprudens commisi. G. Ego te alium esse ratus sum: frater te antea non viderat: reliqui comites sequuti sunt, nostro tantum indicio freti: sic omnes inscij te strictis gladijs adorti sumus. H. Consule & examina omnes qui nobiscum aderant: idem jurati testabuntur singuli.

14. 15. In exemplis causæ remotæ & proximæ non est quòd immoremur. Illæ enim, ex supra dictis, cuilibet non cæcutienti satis innotescent.

16. A. Materia, Lignum, Ex ligno, Ligneus, Unde. B. Fagus, pocula. Æs, imago. Ferrum, gladius. C. poculum est faginum. Homo est pulvis. D. Atqui id saltem in homine vituperandum est, quod non ex auro vel argento sit factus, sed ex terrâ omnium creaturarum vilissima. Sic enim argutantur impe-

imperiti; sic communem illam & fertilissimam rerum parentem despiciunt: quasi vitio vertendum sit vasis Samijs, quod ex terra facta sint. Valeant igitur fruges & olera: valeant arbores, flores amœni, & *omnis copia narium*; & quæcunque vel vitæ, vel voluptati inserviunt. Valeant, inquam & faceſſant omnia ista, quoniam ex terra nascuntur. Sordebunt jam lares & foci, quia non aliunde quam terræ excrementis calescunt. Imo nec aurum illud, nec argentum, nec cætera metalla jam amplius in pretio habebuntur: quia non nisi terræ etiam excrementa sunt: Verùm enim verò si primæ originis dispudet, quia, respectu corporis, ex terra facti sumus, quid tibi videtur altera illa spiritualis, & planè cœlestis natura (animam vocant) quæ nec terræ, nec terrenæ cuiquam materiæ accepta ferenda est? E. Factus est homo, non ex floribus qui marcescunt, nec ex fructibus qui putrescunt, neque ex metallis quæ rubigine corrumpuntur; sed ex ipsa omnium istorum matre, videlicet terra; quæ, alijs denascentibus, alia producit; ipsa autem (ut ait Ecclesiastes) *remanet in æternum*. Quæ quanto propius

propius ad naturam immutabilis illius, & æterni parentis accedit, tanto magis debet homo, quæ æterna atque immutabilia sunt appetere.

19. A. Forma, Modus, Facies, Hoc modo, Ita, Sic. Hoc pacto. B. Anima, homo. Significatio, vox. Rotunditas, globus. Longitudo, linea. C. Homo est prædítus animâ. Vox significat. Ecclesia est vocata. Globus est rotundus. D. Homo præstat cæteris animantibus, quia prædítus est animâ rationali. E. G. Homo non est rationis expers, ut bruta, Neque eum *finxit natura pronum, & spectantem lumine terram.* Sed *os illi sublime dedit, cælumque tueri jussit & erectos ad sydera tollere vultus.* F. Quanto lapidibus abjectissimis præstat lucentium siderum forma; tanto cæteris animantibus prælucet anima hominis rationalis. G. Si extrinsecus hominem intueamur, quanta est capitis in orbem conglobati venustia! quanta faciei in cœlum erectæ! quanta brachiorum & surarum ac totius denique corporis pulchritudo! Sed omnibus omnium animantium pulchritudinbus pulchrius est internum illud hominis decus,

anima

anima, viz. rationalis: in cujus Intellectu, Memoria & Affectibus omnibus quandam divini Numinis imaginem videmus. H. Vide initium Geneseos. Salustij & Metamorphoseωn Ovidij.

20. Anima est forma hominis.

21. Rotunditas est forma globi.

22. A. Finis, Intentio, Scopus, Usus; Meta, Propositum, Fructus, Utilitas, Gratiâ, Causâ, Quò, Quorsum, Propter, Ad, In, Ob, Ut, Ne, Ergo. Hoc animo, Cui bono, Huc tendit, spectat, facit, Supina in tum post verba motus, Futurum participij activi. B. Gloria Dei, actiones hominis. Commemoratio mortis Christi, Cœna Domini. Domus, ædificatio. Habitatio, domus. C. Veni huc lusurus. *Lusum it Mecænas, dormitum ego Virgiliusq́. Hac mente laborem sese ferre, senes ut in otia tuta recedant, aiunt.* D. Hoc etiam inter hominis commendationes censendum est, quod immediatè in Dei gloriam creatus sit. E. Non in usum aliarum creaturarum factus est homo, sed in gloriam solius Dei. F. Sicuti agellum emit paterfamilias, ut inde fœnum metatur: fœnum metit equorum

gratiâ: equos autem helciarios lapidibus ducendis destinat; lapides cò spectant ut domus inde ædificetur: domus verò ædificatæ fructus & utilitas est habitatio: Ita Deus omnia propter hominem creavit, ipsum verò hominem propter suam gloriam. G. Ideo labores perferimus ut corpori victum & amictum prospiciamus: hoc autem facimus ut corpus sit habile instrumentum animæ: Instrumentum verò animæ propter ipsam animam curamus: idque ut possit actiones producere, quibus gloria Dei promoveatur.

23. Habitatio est ultimus finis ædificatoris; ut & victoria bellatoris.

24. Habitationi subordinatur ædificatio; ut & victoriæ pugna.

CAP. III.

De Causatis.

SECUNDO, [1] Causatum, quod est multiplex.

1. Es-

1. [2] Effectũ, quod est iterum vel [3] Procreatum, vel [4] Conservatum, vel [5] Corruptum, vel causæ [6] Solitariæ, vel [7] Sociæ, vel [8] Principalis, vel [9] Instrumentalis, vel [10] Naturalis, vel [11] Voluntariæ, vel [12] Coactæ, vel [13] Insciæ, vel [14] Remotæ, vel [15] Proximæ.

2. [16] Materiatum.

3. [17] Formatum.

4. [18] Finitum.

1. A. Actio, Effectio, Generatio, Corruptio, Alteratio, Accretio, Diminutio, Motus, Fructus, Soboles, Præmium Merces, Stipendium. *Fructus honos oneris, fructus honoris onus.* Sic multa verba activæ significationis, ut pario, ædifico. Sic neutra, ut ridere, &c.

2. A. Pario, Rideo, Scribo, Lego, &c. B. Cultus Dei, homo. Ensis, faber. Mors, peccatum. C. Homo colit Deum. Pueri edunt, bibunt, dormiunt, cursitant, lusitant. *Charitas ædificat. Vinum lætificat. Fides justificat.* D. Homo est laudandus, quia per eum colitur Deus. E. Non latrat, balat, boat, aut voces edit inarticulatas; sed verbis distinctis laudes Dei celebrat. F. G. Ut avibus indidit natura facultatem garriendi, canibus latrandi, equis hinniendi, &c. ita homini, quod est animal sublimius, præstantius, datum est Dei laudes corde ore, manu celebrare. Ille enim opera Dei oculis perlustrat, lustrata animo cogitat, cogitata miratur: ac tandem ex abundantia cordis os loquitur, gratias agit, Psalmos cantat. Atque ipsi etiam ori respondent pulsata manu instrumenta musica. Quibus denique accedit tota hominis conversatio; quâ & ipse Deum glorificat, & alios ad eum consimiliter glorificandum suo exemplo provocat, instigat. G. Homo belluis dominatur & consulit; homini auxiliatur & prodest: Angelis lætitiam parit; pugnat etiam contra diabolum; ac denique ipsius Dei laudes con-

concelebrat. H. *Apoc.* 4. 10. & 7. 10.

3. Homo non ſolum navigat, arat, ædificat, ſed (quod ſublimius eſt, & mentem planè divinam arguit) ratiocinatur; artes & ſcientias ediſcit, cauſas rerum inveſtigat; machinas excogitat ingenioſiſſimas. *Vrbem præclaram ſtatui, mea mœnia vidi, Vlta virum pœnas inimico à fratre recepi.*

Nota. Poteſt & hoc & quæ ſequuntur per eaſdem octo claſſes variari, viz. A. B. C. D. E. F. G. H. Quod ſtudioſus lector poteſt per ſe facere: ut tandem diſcat nare ſine cortice. Mihi vere nunc tempus eſt ut brevitati conſulam.

4. Nec invenit modò & excogitat, ſed & conſervat inventa. Nec inventa ſolùm conſervat, ſed & plurima naturæ opera tutatur, amplificat, confirmat, fovet, refocillat. Videmus enim quantam impendat curam, & quam indefeſſum ſtudium in agro colendo, in herbis & arboribus ſerendis, in equis, bubus, ovibus aliiſque animalibus enutriendis, &c.

5. Leporem inſectatur canis, accipiter columbas, & ſerpentes cervi: At homo (quæ ejus eſt bonitas, & cum omni malo antipathia)

omnium maleficorum animalium interitum summâ ope molitur. Cum diabolo, malorum omnium auctore, æternas exercet inimicitias, ejusque se operibus opponit. Imo nec in amicis quidem charissimis, quæ mala sunt approbat, sed fratres, filios & filias, ipsámque uxorem quantumlibet dilectam, identidem reprehendit. Et (quod magis est) sibi quoque injicit manus, & in se veterem hominem morte afficit; ejusque membra excîdit.

6. Inter omnes mundi hujus inferioris incolas, homo facilè primas obtinet: qui solus Deum colit, solus opera ejus contemplatur; solus ei precationis, laudis & gratiarum actionis sacrificia offert.

7. Neque vero homini, vel corporis exiguitatem, vel virium imbecillitatem objicies, si opera illa ingentia & planè stupenda, quæ vel in historijs legimus, vel ipsi etiam videmus ab hominibus perpetrata, consideraveris: quales sunt montes solo æquati, maria pontibus strata, & quæcunque unita hominum vis, atque unanima conspiratio posteris admiranda reliquit.

8. Quæcunque vel navibus per maria vehun-

vehuntur, vel in terris, jumentorum, carrorum, aut aliarum quarumlibet rerum adminiculo fiunt, ea non sunt ipsis instrumentis accepta ferenda, sed homini. Quid enim posset vel taurus ad arandum, vel ventus ad navigandum, nisi earum creaturarum operâ uteretur homo?

9. Hominis etiam operâ utitur ipse Deus: non necessitate quidem, nec inopiâ coactus, sed humani decoris promovendi gratiâ. Quid enim magis homini in honorem cedit, quam quod per eum dignetur Deus verbum suum prædicare? domúmque sibi spiritualem ex lapidibus vivis ædificare?

10. Nec laudanda in homine sunt ea solum, quæ supernaturali quodam instinctu, & inspiratione divinâ exequitur, vel quæ facit, necessitudine aliquâ coactus: sed multo maximè quæ naturâ & suâ ipsius sponte perficit: In quo genere censendum est, quòd non sibi solum & suis, sed & universo generi humano, imo & omnibus quoque creaturis (nisi obstet in ijs malum) & bene vult, & pro viribus consulit: haud secus ac levia sursum, deorsum gravia feruntur,

11. Quis cogit hominem cœlestia contemplari? Deum, vix cognitum, naturæ instinctu colere? sibi & suis victum & amictum providere?

12. Et quotiescunque in peccatum incidit, non nisi impulsore diabolo peccat, aut inevitabili aliquâ tentatione adactus, aut duro etiam cogente necessitatis telo: veluti quum navis in mari, sævissimis tempestatibus jactata, nolens volens abripitur.

13. Sæpe etiam aboriuntur nubes, caligines, tenebræ: quibus involuto homini, non tam vitio vertendum est quod oberret: quam mirandum quod non extemplo naufragium faciat.

14. Hòc etiam præstat homo cæteris animantibus, quod ædes agros & possessiones in multas generationes prospiciat. Undè *& nati natorum & qui nascuntur ab illis* sæpe possident bona sibi ab avis & atavis parata. Homo per victimas colit Deum.

15. Pater gignit filium. Homo seipsum in vivum sacrificium Deo offert: & membra sua ei sistit tanquam arma justitiæ.

16. Ex hominibus ædificatur sanctum Dei tem-

templum, Catholica Christi Ecclesia.

17. Forma hominis est forma mundi: unde homo μικροκοσμος dicitur. Item, forma sphærica laudabilis est, quia eâ informantur orbes cœlestes. Formam volatilium commendat, quòd eam induerint Angeli, & SS. Formam hominis induit ipse filius Dei.

18 Hominis gratia factæ sunt reliquæ creaturæ.

CAP IV.

De Subjecto & Adjuncto.

TERTIO, Subjectum quod est vel [1] Recipiens in se, vel [2] Recipiens ad se, vel [3] Occupans.

Quarto, [4] Adjunctum: quod est vel [5] Inhærens, vel [6] Adhærens, vel [7] Occupatum.

1. A. Genitivi poſſeſſoris alicujus boni, vel animi vel corporis, & adjectiva rei poſſeſſæ. B. Homo, ſapientia. Homo, albedo. C. Paſſiones hominis fuerunt & in Chriſto. Iratus fuit & Deus. C. Licet hinc etiam laudare hominem, quòd omnes ejus paſſiones ipſum Chriſtum aliquando habuerint pro ſubjecto. E. Multa inſunt homini, quæ nec lapidibus, nec brutis, inſunt animantibus: Sed Chriſto & Angelis ſæpiſſime in Scripturâ tribuuntur. F. G. Quod prædiți ſumus facultate edendi, ludendi, curſitandi, &c. id nos à belluis minimè diſtinguit: At quum intuemur ſublimem illam ratiocinandi facultatem, qua prædiți ſunt Angeli, & ipſe etiam Chriſtus Dei Filius, eam nos dotem haud immerito ducimus palmariam. H. *Heb.* 4. 15.

2. A. Genitivi poſſeſſoris rerum externarum, ut & adjectiva & verba quædam. B. Homo, divitiæ. Miles, arma. C. Homo eſt rerum Dominus. Liber Petri. D. Multi ſancti fuerunt divites: ergo divitiæ non ſunt vituperandæ: vel ſic, quid tibi videtur egregium illud hominis ornamentum, quòd factus ſit rerum Dominus? Quod nec ipſis angelis tri-

tribuitur: sed soli Deo competit. E. An omnes Sanctos dices fuisse pauperes, mendicos, exules? Non puto. Constat enim multos fuisse ditissimos. F. Quemadmodum miseriæ, non solis inhærescunt Sanctis; Ita nec divitias possident soli Impij: sed sæpe Pios etiam comitantur. G. Dives fuit Abrahamus. dives Lotus, divites Patriarchæ & alij quamplurimi. H. *Gen.* 13. 2.

3. In, Circa, De, Subjici, Cadere sub, &c. B. Ventus, nauta. Voluptas, temperantia. Color, oculus. Sonus, auditus. Litera, orthographia. Syllaba, prosodia. C. *Nuvita de ventis, de tauris narrat arator.* Homo meditatur in lege Dei. Cantat Phillida. *Arma virumq; cano.* D. Egregia tibia: Nam, *Hæc nos Formosum Coridon ardebat Alexin, Hac eadem docuit Cujum pecus? an Melibai?* vel sic. Homo longe distat à bellua: Nam versatur circa res nobilissimas. E. Animus ejus non est semper in patinis & pateris; non semper in voluptatibus & rebus terrenis, sed sæpe ad spiritualia, ad cœlestia, ad ipsum Deum surrigitur. F. Ut vultum, ita & animum habet homo ad cœlos erectum; & circa res altissi-

altissimas occupatum. G. Nunc orbes cœlestes, nunc siderum motus & circumvolutiones, nunc ipsum cœli & siderum rectorem Deum, & omnes ejus proprietates contemplatur. H. Quod passim testantur Theologia, Philosophia, experientia.

4. A. Adjectiva quantitatis & qualitatis. (Nam plerumque substantiva subjectum, adjectiva adjunctum denotant.) Item verba passiva, neutropassiva, & quæ sensum aliquem indigitant. Item Habeo. Adverbia quantitatis, qualitatis & temporis. Quæque ordinem, signum aut numerum significant. B. Perfectio, scriptura. Albedo, homo. Scientia, homo. C. Homo est doctus. Homo sentit, ratiocinatur. Petrus ægrotat. D. Homo est laudandus, quia ratiocinationis facultate præditus. E. G. Non est mutus, ut piscis, non oculis captus, ut talpa; non, &c. sed audit, videt &c. F. Miramur Psittacum, si possit vel χαῖρε pronunciare; equum, si herum suum dignoscere; canem, si nomine audito accurrere. Quin igitur miramur hominem, qui tot egregijs dotibus instructus est?

5. A. B. C. Inhæreo, Insum, Attributa animi

animi & corporis. Sapientia ineſt homini. Homini inhæret albedo, peccatum, juſtitia.

6. A. B. C. Adhæreo, Adſum, Adjungor, Signum, Conjectura. Bona externa, Agri, Divitiæ, Satellites, Veſtitus, Anni. Sedere, Tunicatum eſſe, Mores, Educatio, Patria, Mors, Neceſſarium, Utile, Iucundum. Creſus eſt dives: vel, ei adſunt, affluunt, ſuppetunt divitiæ. *Tandem progreditur magnâ ſtipante caterva; Sidoniam picto chlamidem circundata limbo: Cui pharetra ex humero, crines nodantur in aurum: aurea purpuream ſubnectit fibula veſtem.* Natus eſt annos ſex. Educatus eſt Edinburgi. Vitam vixit jucundam. Mortem obiit honeſtam. Habuit ſepulturam regiam.

7. Circa hominem verſantur omnes ſenſus, omnes ſcientiæ.

CAP. V.

De Reliquis Conſentaneis.

QUINTO, [1] Antecedentia, [2] Concomitantia, [3] Conſequentia.

1. A. Anteire, Prius, Ante, Præ &c. B. Lucifer, sol. Diluculum, dies. Preces iter. C. Lucifer est anteambulo solis. Oscula præcesserunt abitum Demophoontis; prodigia destructionem Hierosolymæ. D. Nondum diescit, nam nondum ortus est phosphorus. Quanti faciendus est homo, qui creatori suo usque adeo curæ fuit, ut eum non prius in mundum introduxerit, quam ejus gratiâ ipsum mundum, quasi domum locupletem omnimodâ supellectilis varietate instruxisset? E. Non induxit eum in mundum vacuum, sed rebus omnibus abundantissimè refertum. Ut providus pater non dimittit filium in agrum sterilem, aut in villam omnibus necessarijs vacuam: ita Deus hominem in mundum, non nisi præparatum, & rebus omnibus, cum ad vitam, tum ad voluptates pertinentibus, abundantissimè refertum, introduxit. G. In cœlo prius sidera, in aere volucres, in terra herbas, arbores & pecora, in mari denique omnis generis pisces creaverat.

2. A. Connexus, Conjunctus, Comes, &c. B. Angelus, homo. C. Angeli circa hominem castrametantur. D. Hoc etiam est

que

quo se merito jactet homo, quod comites habeat a Deo constitutos angelos. F. G. Filios regum decet ab optimatibus coli: Mordecaium voluit Ahasuerus honorari ipsius Hamanis comitatu: Ita Petro, Abrahamo, Loto, atq; beatæ Virgini, imo & omnibus credentibus adsunt de cœlo missi Angeli. H. *Heb.* 1. *ult.*

3. A. Post, Sequi, Posterius. David non voluit mortem Sauli: Nam postea luxit, & parricidium ejus ultus est. Ecce quam vehementer dilexerit hominem Deus, etiam quum peccasset: Nam statim post lapsum, ex immenso bonitatis, gratiæ & misericordiæ thesauro, magnam illam deprompsit promissionem, de Filio suo, in mortem, pro salute humanâ tradendo.

CAP. VI.

De Dissentaneis.

SExto, [1] Diversa.
Septimo, [2] Disparata.
Octa-

Octavo,[3] Relata.
Nono,[4] Adversa.
Decimo,[5] Contradicentia.
Undecimo,[6] Privantia.

1. A. Non, sed. Quanquam, Etsi, Licet. Utut, Quantumvis, Sed non. B. Formosus, facundus. C. *Non formosus erat, sed erat facundus Vlysses.* Vide 2. *Cor.* 4. 6. D. Præstat homo cæteris creaturis, quia non istas, sed illum condidit Deus, ad imaginem suam. E. G. Etsi non bruta, sed homines sunt curis & solicitudinibus obnoxij: Horum tamen quam illorum conditio magis optanda: his etenim, non illis imaginem suam impressit Deus: quemadmodum illis momentum vitæ in terris, his æternitatem in cœlis fruendam destinavit. F. G. Quemadmodum figulus ex eodem luto effingit vasa, alia quidem his, alia vero illis usibus inservientia: atque his teretem, illis rotundam aut pyramidalem formam inducit: ita Deus creaturarum suarum alias quidem voluit esse inanimatas, alias vero

verò animâ duntaxat vegetativâ aut sensitivâ præditas: ac denique alias, putà homines, ut in usus nobiliores destinavit, ita & forma nobiliore induit, & à cæteris creaturis, non vultu tantum erecto, sed & animâ rationali secrevit. G. Potuit nos Dominus creare, non homines, sed asinos, sed bufones, sed lapides, aut aliorum animalium recrementa, ludibria: & tamen (quæ est ejus in nos clementia) facti sumus homines: non muti, non cæci, non membris, aut mentibus capti, sed loquentes, sentientes, & sacrosanctam ipsius Dei imaginem referentes. H. *Gen.* 1.

2. A. Non, nec. Aut, Nullus. B. Album, nigrum, viride. Fortis, timidus, audax. Magnum, parvum, mediocre. Scientia, opinio, ignorantia. C. Cycnus non est glaucus, nec viridis, sed albus. Nec est avarus, nec liberalis, sed prodigus. Nullus timidus est fortis. D. Non est fortis, nam est audax. Non est liberalis, quia est prodigus. Homo est non spiritualis tantum, ut Deus, nec corporeus tantum, ut elementa: sed animal, ex corpore & anima conflatum. Ergo, ut est inferior Deo, ita & creaturis ceteris præstantior.

E. Hasta hæc non est abiegna, non saligna, sed fraxinea. G. Homo factus est, non ad imaginem brutorum, nec angelorum, sed Dei.

3. Pater, filius. Creator, creatura. Noverca, privignus. Docere, discere. Lex, vita humana. Substantia, accidens. Hospes, hospes. Hostis, hostis. Subjectum, adjunctum. Rex, anteambulo. E. G. Hominem maximoperè commendat, quòd ipse Deus sese ejus creatorem, regem, dominum, patrem appellet: quòd Christus dicatur hominum caput: quod homines sint templum S. Sancti.

4. Virtus, vitium. Bonum, malum. Iustitia, peccatum. Sanctum, profanum. *Frigida pugnabant calidis, humenta siccis, mollia cum duris, sine pondere habentia pondus.*

5. Bonum, non bonum. Homo, non homo. Pater, non pater. Album, non album. *Qui verbum Dei audit, est Dei filius; qui non audit non est Dei filius. Qui credit, habet æternam vitam; qui non credit, non videbit vitam.*

6. Vita, mors. Lux, tenebræ. Dives, pauper. Motus, quies. Videns, cœcus. Sanus, æger. Compos mentis, demens. Loqui, tacere.

CAP.

CAP. VII.

De Comparatis.

DUODECIMO, [1] Paria.
Decimotertio, [2] Majora.
Decimoquarto, [3] Minora.
Decimoquinto, [4] Similia.
Decimosexto, [5] Dissimilia.

1. Par, pariter, Æqualis, Dignus, Tantus, Tot, Æquare, Comparare, Æquipollere, Negationes imparium. Repetitiones ejusdem verbi (ut *qui me spernit, Patrem spernit:*) Toties, quoties.

Nota. Possunt duo esse paria (ut & imparia) ratione Causæ, Causati, Subjecti, Adjuncti, Antecedentium, Concomitantium, Consequentium; Item, Generis & Speciei. Ut homo est par Angelis, Primo, *Causæ*

efficiente, qui est Deus: Deinde *Forma*, viz. anima rationali. Item *Fine* gloriâ Dei. Porro *Causatis*. Uterque servit Deo. Sic *Subjecto*. Uterque meditatur in mysterijs Dei: opera Dei contemplatur. *Adjunctis* etiam. Utriq; inest scientia. Et sic de reliquis.

2. A. Non solum, sed etiam. Non modò, verum etiam. Malo hoc quam illud. Cum, tum. Non hoc, nedum illud. Tantum abest ut. Comparativus. Præter. Præ, Ante. Negatio minoris. *Non minor est virtus quam quærere parta tueri*. D. *A Causa*. Non modo voluit Deus hominem fieri, ut alias creaturas, sed ipse corpus ejus suis manibus formavit, ipse suo ore naribus ejus spiritum vitæ inspiravit. *Abeffecto*. Non modò mirabili membrorum suorum structurâ, ac totius denique hominis fabricâ, tanquam mundi epitome, laudes creatoris sui (ut omnes reliquæ creaturæ) tacito quodam sermone eloquitur: Sed mente etiam Dei opera intuetur, bonitatémque ejus & beneficia agnoscit: Quæ verbis quoque confitetur & prædicat: ac deniq; fructibus obedientiæ, & bonorum operum, pro viribus compensat. *A subjecto*. Non solum

ſolum terram & maria, *numeroq; carentes arenas metitur, animoq; rotundum percurrit polum*: ſed ad ipſum quoque Iehovam contemplationibus aſcendit. *Ab Adjunctis.* Non ſolum agilitate & robore corporis præditus eſt homo, ut pecora quædam, ſed & ratione inſuper facultate que diſcurrendi, & cauſas rerum inveſtigandi, inter alias creaturas eminet, *quantum lenta ſolent inter viburna cupreſſi.* *Ab Antecedentibus, Connexis, Conſequentibus,* & locis cæteris, facile poteſt ſtudioſus lector, idem ſubjectum, eaſdem hominis laudes, ad eundem modum, amplificare.

3. A. B. C. Non ſolum, ſed ne. Potius hoc quam illud Non, nedum, Cum, tum. Negativa parium & majorum. Multo minus. Nequit incedere, multo minus currere. Non tenet voculam, nedum totam lectionem. *Ciconia obſervat tempus*, multo magis debent homines. *Sermo datus per angelus fuit firmus*, multo magis quem Filius Dei prædicavit. Nemo, non modo Romæ Chriſtianus, ſed nec alibi quidem inter Ethnicos crudeliſſimos quiſquam hoc faceret. *Vt jugulent homines ſurgunt de nocte latrones: ut te ipſum ſerves non expergiſceris?*

4. A. Similis, Effigies, Imago, Typus, Figura, More, Imitor, Refero. Sic Epitheta qualitatum, ut Manus marmorea, Labra roſea. B. Pius, viror, palmes. Labra, rubor, roſa. Manus, candor, marmor. Amor, ardor, ignis. C. *Scilicet ut fulvum ſpectatur in ignibus aurum, tempore ſic longo eſt experienda fides.* Quod eſt oculus corpori, hoc eſt intellectus animæ. *Luſus Fortunæ variatur imaginæ lunæ. Pius inſtar palmitis viret. Homo eſt gramen.* Iſ. 40. 6. D. G. Eſt homo laudandus: habet enim quo poſſit cum præſtantiſſimis creaturis conferri. Imo eſt μικροκοσμος: eſt & angelis ſimilis: & (quod maximum eſt) ad imaginem ipſius Dei conditus. E. Non eſt mediaſtinus inter domeſticos magni Patris-familias: nec gregarius miles in exercitu Domini exercituum. F. G. Non immerito quidam vocarunt hominem arborem inverſam: Ælij epitomen ſeu breviarium mundi. At ſi dominium in creaturas intueamur, omnium rectiſſimè Dei vicarium, ac rerum naturæ dominum voceemus. G. Allegoriæ metaphoricæ; ut. *O Navis referunt in mare te novi fluctus.* H. Teſtimonia ex S. Scripturâ & aliunde promantur.

5. A.

5. A. Dissimilis, Diversum, Aliud, Differo, Disto, Non congruo, Aliter, Secus, Non ita, At, Ast, Autem, Vero. B. Sapiens, mutabilitas, Luna. C. Sapiens non mutatur ut Luna. *Facilis descensus averni, sed revocare gradum — hoc opus.* D. E. Alia est hominis atque belluarum conditio: his enim servitus, illis dominium obtigit. F. Quanta est dissimilitudo inter aurum & plumbum, inter album & nigrum, tantam inter hominem & brutum videre est. G. Huic servitus, illi dominium; huic anima rationis expers, illi rationalis; huic vultus pronus illi supinus datus est. H. *Pronáque quum spectent animalia cætera terram, os homini sublime datum est.*

CAP. VIII.

De Locis reliquis communibus.

DEcimoseptimo, [1] Conjugata.

Decimooctavo, [2] Notatio.

Decimonono, Distributio: quæ est vel [3] Totius in partes, vel [4] Generis in species.

Vicesimo, [5] Testimonium.

1. A. Abstractum, concretum. B. Humanitas, homo. C. *Homo sum, humani a me nihil alienum puto.* vel hominem decet humanitas. D. Non amat religionem; nam religiosos habet ludibrio. Non es justus; quia non agis justè. E. G Homo non est totus terrenus, quia non totus ex terra: sed partim cælestis, habet enim animam cælitus delapsam. F. Aves vocantur cœli aves, etsi inferiores tantum aëris partes pervolitant: an non hominem multo magis cœlestem vocabimus, qui in ipsum cœlum cœlorum, sublimi mente & meditationibus ascendit? G. Miramur (& non immerito) humani corporis structuram: & in animâ quoque, quis non miram dixerit facultatem illam vegetativam: facultas autem sensitiva est adhuc magis miranda: at omnium quæ sunt in homine, (imo in toto terra-

terrarum orbe) mirabilium, nihil est magis admiratione dignum, quam anima rationalis. H. Rectè igitur dixit propheta hominem esse mirabiliter factum. *Ps.* 139. 14.

2. A. Omnis etymologia, seu derivatio nominis. Quales sumuntur fere ab omnibus argumentorum locis *Ab Efficiente*, ut Consul *A Materia*, ut Homo. *A Forma*, ut Urbs. *A Fine*, ut Poculum. *A Subjecto*, ut Theologia. *Ab Adjuncto*, ut Mulier. *A Dissentaneis* ut Bellum. *A Comparatis*, ut Pyropus. B. Consul, consulo. Homo, humus. Consul dicitur a consulendo. *Stat vi terra suâ, vi stando Vesta vocatur. Hostibus a victis victima nomen habet.* D. Christus dicitur Iesus, ergo ei tanquam salvatori nitamur. vel Rectè dicitur Iesus, quia *servat populum suum a peccatis eorum.* E. Non ex materiâ cœlesti, sed ex terrâ factum esse hominem, vel ipsum etymon evincit. F. Ut Pomonam a pomis, a melle Mellonam, Floram item Dryades & Oreades, a floribus, arboribus montibusque dixerunt Ethnici: quanto rectius inter Christianos vocabitur Iesus qui æternam nobis salutem peperit. G. Merito dicitur Iesus, quia

est

est servator mundi: merito Christus, quia unctus oleo lætitiæ: merito Christianorum ἀλεξικάκος, quia omne malum à nobis propellit: merito Rex, quia suos regit; merito Propheta, quia voluntatem patris enunciat: merito sacerdos, quia verum pro nobis obtulit sacrificium. H. *Matth.* 1. 21.

3. B. Animal, anima, corpus. Corpus, caput, manus, pedes. Mundus, mare, terra, cœlum. C. Oculus est pars humani corporis. D. G. Si corporis humani, singulorúmque ejus membrorum venustiam contemplemur; si oculos instar siderum lucentes; si labia; si genas; ac totius denique faciei decorem plusquàm mirabilem; si brachia, manus & surarum terites; si artuum compages; si nervos, tendones & musculos; si denique membra singula, ad sua quæque officia egregiè composita: Maxime autem, si facultates animæ divinas; si mentem; si memoriam; si affectus singulos, amorem odium, lætitiam, dolorem, & quicunque alij, vel præsentibus rebus, vel futuris etiam, atque absentibus, imo & longissimè dissitis exercentur: quid quæso potest esse huic spectaculo par?

4. Ani-

4. Animal, homo, brutum. Bellua, equus, anser, mus. Color, album. Navis, Cloanthus. Fabula, Eunuchus. Avis, bubo. Quis hominem Deo curæ esse negaverit, quum cæteris animantibus (quid? animantibus dixi?) imo, universis creaturis prospiciat? Nam ut videmus, flores vestit, campos pingit, leones saturat passeres & minutissima quæque animalcula ita tuetur, ut ne unum quidem eorum possit sine ejus voluntate in terram cadere. *Matth.* 10. 29. 30. 31.

5 A. Testis, Testimonium, Suffragium, Suffragator, Opinio, Iudicium, Censura, Testari, Subscribere, Succinere, Dicere, Profiteri, Aiunt, Fama est, Item Proverbia, Leges, &c. D. Quanti hominem fecerit Deus abunde testatur S. Sanctus in sacrosancto codice. E. Ethnicorum Philosophorum, quantumlibet argutè differentium, suffragia nihil moror, nedum delirantium aniculatum fabulas: Ipse enim Spiritus sanctus qui est instar mille testium, æternam hanc veritatem suo testimonio firmavit. F. Si dixisset Aristoteles, si Plato, si Socrates, aut alius quisquam Philosophorum, facile ijs fidem haberent

eorum

eorum discipuli. Quæ igitur est nostra vecordia, qui verbi divini, atque adeo ipsius Spiritus sancti, testimonium rejicimus? G. An multitudine testimoniorum delectaris? Testatur Moses: testantur Prophetæ, Apostoli, Christus ipse, & Christum sequuta ingens illa testium nubes, unanimis sanctorum Apostolorum consensus, & Ecclesiæ omnes Orthodoxæ. Quorum omnium testimonio si nondum acquiescis, at (H.) legi divinæ satis est, si ex ore duorum aut trium testium confirmata fuerit veritas. *Deut.* 19. 15.

CAP. IX.

De locis Rhetoricæ proprijs.

ATQUE hactenus prioris generis loci, qui sunt Rhetoricæ cum Dialecticâ communes.

Poste-

[1] Posterioris generis sunt, [2] Honestum, [2] Inhonestum, [2] Utile, [2] Inutile, [2] Jucundum, [2] Injucundum, [2] Facile, [2] Difficile, [2] Possibile, [2] Impossibile, [2] Magnum, [2] Parvum, &c.

1. Viz. qui Rhetoricæ sunt proprij.

2. In quibus explicandis, non est quod hic moremur: Partim, quia jam satis expatiatum est in locis communibus: partim quia horum locorum usus est minus generalis: eorum enim quidam Demonstrativo, quidam Deliberativo quidam denique Iuridiciali generi magis inserviunt: quocirca in alteram libri partem, quæ est de Inventione speciali (quam alio nomine Electionem vocant) transferendi sunt.

CAP.

CAP. X.

De Electione in genere.

[1] ELECTIO est quum ex innumeris argumentis aptissima quæque eligimus. Aptiora autem sunt alia alijs argumenta, pro varietate vel [2] Causarum, vel [3] Passionum, vel [4] Personarum.

1. Quam alio nomine Inventionem dicimus specialem.
2. De quibus supra Lib. 1. cap. 3.
3. De quibus infra cap. 12.
4. De quibus infra cap. 13.

CAP.

CAP. XI.

De Electione respectu Causarum.

SECTIO I.

De Electione in genere Demonstrativô.

IN genere Demonstrativô si subjectum sit [1] Persona, [2] intuebimur [3] partes vitæ singulas: perspectis interim [4] virtutibus & vitijs partes istas concomitantibus.

Si autem subjectum sit Res, [5] sic variat.

Primo, [6] Regio laudatur aut vituperatur à regibus, à populo, à mari, ab urbibus, à

sylvis

ſylvis, à montibus, à fluvijs, &c.

Secundo, [7] Urbs à reip. adminiſtratione, à magiſtratibus, ab ædium magnificentiâ, à divitijs, ab aëris ſalubritate. Item à ſitu, fluminibus, montibus, fontibus, &c.

Tertio, [8] Fons a largâ & perenni ſcaturigine, ab aquæ limpiditate, dulcore, ſalubritate, &c.

Quarto, [9] Mons ab altitudine, a ſitu, a fertilitate graminis, arborum aliarumque rerum delectabilium, aut utilium.

Quinto, [10] Ædificia, a ſitu, a proſpectu, a figurâ, a magnitudine, a cubiculis, a pyramidalibus, ab hortis, a dominis, &c.

Sexto, [11] Ager, a feracitate, a facilitate laboris, a ſitu, à figurâ, &c.

Septimo, [12] Flumen, ab ortu, a colore, a curſu, ab amplitudine: item a locis quos alluit & rigat: denique a piſcibus, alveo & vadis, &c.

Octavo, [13] Equus, Bos, &c. a formâ, a pretio, a natalibus, ab effectis, &c.

Si denique ſubjectum ſit

[14] Factum, ducantur argumenta potiſsimum, ab Honeſto, ab Utili, a Iucundo, a Facili, vel contra.

NOTA. Hi loci etiam inſerviunt [15] virtutibus & [16] vitijs depingendis.

1. U. in Epitaphijs, in Orationibus funebribus, Natalitijs, Epithalamijs & Panegyricis.

2. Hic ordo eſt facilior, atque adeo tyronibus magis ſequendus, quam ille alter quo dicimus cum Cicerone, *Summo Imperatori quatuor res ineſſe oportet, Scientiam rei militaris, Virtutem, Auctoritatem, Felicitatem.* Ad quæ capita omnes Pompei laudes revocat.

3. Ætates intelligo: quæ ſunt hæ.

Primo, *Infantia*, quo pertinent parentes, & quæ conceptionem, nativitatem, enutritionem, &c. vel præceſſerunt, vel comitata fuerunt, vel ſunt etiam ſequuta.

Se-

Secundo, *Puericia.* In qua præter pulchritudinem (quæ in omni ætate, tanquam virtutis signum, homines commendat) considerandæ est imprimis, educatio, quæ iterum per omnes locos inventionis ducenda est. *Causæ* sunt Præceptores. *Effecta*, progressus. *Subjecta* artes, scholæ. *Adjunctum*, tempus: & sic de reliquis.

Tertio, *Adolescentia.* Ubi occurrunt statura, robur, venustia, literatura, exercitia, res gestæ, dicta, &c.

Quarto, *Ætas virilis*, ubi genus vitæ, officia, & alia ex locis communibus eruenda: Imprimis autem relationes, ut consanguinitas, affinitas, amicitia, &c.

Quinto, *Senectus*, quo spectant Mors & Sepultura.

4. Horatius in Arte Poët. *Ætatis cujusq; notandi sunt tibi mores: mobilibusq; decor naturis dandus & annis. Reddere qui voces jam scit puer, & pede certo signat humum, gestit paribus colludere*, &c.

5. Non sic tantùm, sed sic præcipuè: ut patebit non modò ex infra positis exemplis, sed ex alijs etiam passim occurrentibus, quale

est illud vitæ rusticæ. *Hor. Epod.* 2. Hortuli. *Virg. Epig.* 1. Invidiæ. *Ibid.* 3. Fortunæ. *Horat.* 1. *Carm.* 35. Portus. *Virg. Æneid.* 1. Equi. *Georg.* 3. Poculi. *Eccleg.* 3. Famæ. *Æneid.* 4. Tauri. *Ovid. Metam.* 2. Currus. *Metam.* 2.

6. Laudatur Italia. *Virg. Georg.* 2. *Sed neque Medorum sylvæ*, &c. Canaan. *Ex.* 3. 8.

7. Ut Tybur. *Hor. Carm.* 2. 6. Babylon. *Diodor. lib.* 2. 7. Ninus urbs. *Ibid.* 3. Tyrus. *Q. Curt.* 4. 2. *Ezek.* 27. 1. Vide *Apoc.* 21. 10.

8. Fons Blandusiæ. *Horat. Carm.* 3. 13. sic *Fons erat illimis. Ovid. Metam.* 3. Fons Samariæ. *Ioan.* 4. 12.

9. Atlas, *Virg. Æn.* 4. Mons Dei, *Psal.* 68. 15.

10. Regia Solis, *Ovid. Metam.* 2. Turris Babylonica, *Dan* 4. 3 & apud *Q. Curtium* 5. 1. Invidiæ domus. *Ovid. Metam.* 2. *Protinus Invidia nigro squalentia tabo*, &c.

11. Arabia Felix, *Q. Curt.* 5. 1. Ægyptus, *Diodor.* 1. 36. Huc pertinent omnia fere exempla Regionum de quibus supra.

12. Peneus, *Ovid. Metam.* 1. Alpheus, *Metam.*

Metam. 5. *Invenio sine vertico aquas.* Vide *Apoc.* 22. 1.

13. Vide supra ad figuram 5.

14. Æn 4. *Tu nunc Carthaginis alta fundamenta locas.* Davidis peccatum, 2. *Sam.* 12. 1. *&c.*

15. Qualis est Mediocritas quam laudat *Horat. Carm.* 2. 10. Fides, *Heb.* 11. 1. Charitas, 1. *Cor.* 13. 1. Unitas sive Pax, *Ps.* 133.

16. Ebrietatem depingit *Horatius*, *Epist.* 1. 5 *& Solomo, Prov.* 23. 29. 30. *&c.*

SECTIO II.

De Electione in genere Deliberativo.

IN genere Deliberativo ducuntur argumenta præcipue ab [1] Honesto, ab [2] Utili, a [3] Jucundo, a [4] Possibili, vel [5] Contra.

1. Sub quo continetur, Æquum & Legitimum

timum; ut si conveniat Legi vel Consuetudini, *Matth.* 4. 4. 7. 10. *Ioan.* 19. 7. *Est enim hæc, Iudices, non scripta, sed nata lex, Cic. pro Milone:* vel si Pietatem Charitatémve promoveat; si tendat in Honorem Dei, vel aliorum hominũ Emolumentum. *Exod* 32. 11 *&c. Est.* 4. 13. *Iupiter esse pium statuit quodcunque juvaret,* &c. *Ovid. Epist. Ascanium surgentem & spes hæredis Iuli,* &c. *Virg.* Æn 4.

2. Sive bono præsenti conservando, sive acquirendo futuro. De priori vide *Gen.* 12. 13. De posteriori, *Gen* 3. 5. De utroque, *Is.* 55. 3. *& Orationem Mnestei. Virg.* Æn. 5. Huc etiam pertinet locus à Necessario, *Marc.* 9. 49. *Nec nos obniti contrà nec tendere tantum sufficimus superat quoniam fortuna, sequamur;* inquit Palinurus, Æn. 5.

3. Quod à quibúsdam ad Utile revocatur. 1. *Sam.* 25. 31. *Solane perpetuâ mœrens carpere juventâ? Nec dulces natos, veneris nec præmia noris?* Æn. 4.

4. Sub quo & Facile. *Nec labor est celare, Ovid. Ep. Phæd. Hipp vide* 2. *Reg.* 5. 13.

5. Viz. ab Inhonesto, *Ioan.* 7. 51. ab Inutili, *Gen.* 37. 26. ab Injucundo, 2. *Sam.* 2. 26.

à

à Difficili & Impossibili, *Act.* 27. 31. *Num.* 13. 31.

SECTIO III.

De Electione in genere Judiciali.

IN genere Judiciali argumenta variant hoc modo: Si status sit Conjecturalis, ratiocinamur à [1] voluntate, à [1] facultate, à [2] signis (cum antecedentibus, tum concomitantibus & subsequentibus) & denique à [3] testimonio: si Finitivus, a [4] definitione: si Qualitatis, a [5] natura, a [5] lege, a [5] consuetudine, a [5] judicato, ab [5] æquitate, a [5] pacto: si

Quantitatis, ab ijs locis quæ injurias augent aut minuunt.

1. Ut si probaveris aliquem & voluisse & potuisse: vel contra. *Quid meus Æneas in te committere tantum, quid Troes potuere? Virg. A juvene & cupido credatur reddita virgo? Ovid.* Sic pro Milone probat Orator, non Milonem Clodio, sed Clodium Miloni insidias struxisse, quia & voluit & potuit, quod utrumque multis evincit argumentis.

2. Ut vidimus eum efferatum, stricto gladio, & manibus cruore aspersis, ergo apparet eum fuisse auctorem cædis. *Pallidulus mi Brutidius, &c. Iuv. Sat. 10. Solitudo ante ostium.* Ergo nullæ nuptiæ. *Texentem telam studiosè ipsam offendimus.* Ergo pudica est. *Terent. Andr. Matth. 26. 73. Iudic. 12. 6. Act. 24. 11. 12.*

3. Quod est vel mortuorum & absentium, vel vivorum & præsentium. Illud legitur: ut *Ioan. 5. 39.* Hoc auditur: ut *Matth. 26. 60.* Huc pertinent Oracula: ut *1. Sam. 23. 11.* Obtestationes: ut *Ios. 22. 22.* & Tormenta: ut *Act. 23. 24.*

4. Com-

4. Commisit adulterium, nam accessit ad alterius torum. Non servavit fidem, quia non fecit quod promiserat. Nam fides à fio dicitur, teste Tullio in Officijs. Atque ea est definitio nominis, sive Notatio. De definitione rei sit hoc exemplum; Sacramenta papicolarum non sunt sacramenta, quia non sunt visibilia signa invisibilis gratiæ, a Domino in eum finem instituta.

5. Factum illud Simeonis & Levi (*Gen.* 34. 25.) fuit malum & execrandum. 1. Quia contra naturam est odisse amantes. 2. Quia contra legem Dei malum pro bono rependere. 3. Quia contra consuetudinem majorum exercere crudelitatem. (Nusquam enim legimus Abrahamum, Isaacum, aut Iacobum simile quidquam perpetrasse.) 4. Quia judicatum, nam Cain ob ejusmodi factum a Domino damnatus fuit & punitus. 5. Quia contra æquitatem, quæ ait, *Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris.* 6. Quia contra pactum: nam pacti fuerant fœdus amicitiæ & matrimonij.

6. Aggravatur autem injuria. 1. Si fiat ob causas leves. 2. Si magnum detrimentum adfe-

adferat. 3. Si sit contra meritum. 4. Si contra fidem. 5. Si noxius vel solus, vel cum paucis, vel primus, vel sæpe fecerit.

CAP. XII.

De Electione respectu Affectuum.

AFFECTUS movendi sunt varij, pro varietate causarum: viz. in Demonstrativo, [2] lætitia & [3] gratia, præcipuè; ut & [4] tristitia & [5] contemptus, aliquando: in Deliberativo, [6] metus, [7] fiducia, [8] pudor, [9] impudentia: in Judiciali, [10] ira, [11] lenitas, [12] amor, [13] odium.

1. Affectus nisi moveas, nihil agis; non es

es dignus nomine oratoris: nec dicêris Rhetoricam vel in limine salutasse: maximè autem si de rebus magnis & gravibus habeatur oratio.

2. 3. 4. 5. Hi sunt affectus præcipui in hoc genere: quanquam non nego amorem quoque vel odium, laudando vel vituperando, excitari posse, adversum vel Personam illam, vel Rem quæ laudatur, vel vituperatur, in Demonstrativo; vel incidenter etiam in Deliberativo.

2. Abundè lætum reddemus auditorem, si conditionem ejus felicem ad vivum exprimamus: non absolutè modò, sed & comparatione factâ singulorum vel universorum talis conditionis bonorum, cum malis præteritis quæ ipse expertus est, vel etiam præsentibus, quæ alios experiri videt. 2. *Sam.* 13. 4. 1 *Reg.* 21. 7. *Horat. Carm.* 1. 37. Cicero post reditum ab exilio oratione ad Quirites.

3. Vel erga nos ipsos (quum profitemur nos gratis animis agnoscere *magnitudinem* beneficij, ab aliquo *solo*, in nos *miserrimos* collati: ut *Æn.* 1. *O sola infandos Troiæ miserata labores, quæ nos relliquias Danaum*, &c. Ps. 85. 1.)

vel

vel erga alios: quum eorum beneficia recenſemus. Ut Cicero in Manilianâ, commemorat beneficia Pompeij in Remp. *Luc.* 7. 4. 5.

4. Ut in orationibus funebribus; quales ad Mauſoli ſepulchrum quotannis recitabantur. 2. *Sam.* 1. 17. & 3. 31.

5. Quum beneficia ab adverſario collata extenuamus: ut illa pyra hoſpitis Calabri, apud Horatium. *Epiſt.* 1. 7. *Iſ.* 1. 11.

6. Securo metum injiciemus, ſi malum ei ob oculos ponamus, & *maximum* & *imminens*. Maximum erit quod cujuſque bono eſt maxime contrarium. Ut bellum aufert avaro opes, delicato delicias, *&c.* Imminens vero, ſi nullum impedimentum ſit quo minus hoſtis nocere, & *Poſſit* & *Velit*. *Nate dea potas hoc ſub caſu ducere ſomnos?* &c. Æneid. 4. *Ioan.* 3. 4. *Dan.* 3. 15.

7. Fiducia, ſpes, vel confidentia parabitur, ſi oſtenderimus vel *nos* vel *alios* in ſimili periculo evaſiſſe, idémque jam eſſe ſperandum. vel ex *divino favore*, *vel aliâ aliquâ ratione*: ut *O paſſi graviora, dabit Deus his quoque finem* Æn. *Teucer Salamina patremque*, &c. *Hor. car.* 1. 7. *Act.* 27. 22. 1. *Sam.* 17. 32.

8. Eru-

8. Erubescet adversarius si demonstraverimus eum vel *boni* aliquid per stultitiam omisisse vel aliquid *mali* turpiter fecisse vel facere voluisse: idque conscijs & observantibus ijs quos minimè vellet. *Novimus & qui te, Virg. Eclog.* 3. Oratio Germanici ad rebelles apud Tacitum 1, 10. *Ezek.* 33. per totum.

9. Non erubescent auditores si demonstraveris contrarium.

10. Iratum reddemus auditorem, si quàm plurimis argumentis indignum facinus factum esse ostenderimus, & injuriam atrocissimam, ut in oratione Vibuleni apud *Cor. Tac.* 1. 6. vide 2. *Sam.* 12. 1. &c.

11. Sedabitur ira auditorum, si viderint injuriam aut nullam esse, aut perquam exiguam, aut saltem non ex malitiâ profectam; & nos ejus pœnitere, atque paratos esse, secundum justum & æquum, satisfacere. *Horat. car.* 1. 16. 1. *Sam.* 25. 23. &c.

12. Amorem erga nos, vel eum de quo loquimur conciliabimus, si bona recensea-mus, quam plurima, & quæcunque sunt amore digna: imprimis autem beneficia, & amoris nostri documenta in eos, vel etiam in alios

alios; maximè vero in remp. ut in oratione Segestis. *Tacit.* 1. 12. 1. *Sam.* 12. 1. Quo spectant & blanditiæ & professio benevolentiæ; ut in Gnathone. *Ter. Eunuch.* 2. *Sam.* 15. 1. &c.

13. Quæ supra dictis contraria sunt, ea odium provocant.

CAP. XIII.

De Electione respectu Personarum.

PERSONA etiam spectanda est cum tua dicentis,[1] qualis sis & [2] qualis videri cupias, tum [3] auditorum; quæ varia est, pro varietate [4] affectuum,[5] habituum,[6] ætatum,[7] fortunæ,[8] sexus.

1. Nam *intererit multum Davúsne loquatur*

an

an herus, maturúſne ſenex, an adhuc floronte juventa fervidus, &c. *Horat. art poët.*

2. Debes autem videri Prudens, Probus, Benevolus. Imprudentia enim, Improbitas aut Malevolentia præjudicium parit. Inſanus eſt qui ab imprudente prudentiam, ab improbo probitatem, aut a malevolo rectum conſilium expectat.

3. Inſigne exemplum eſt in magno oratore, *Act.* 23. 6.

4. Aliter apud amicos, aliter apud hoſtes verba faciemus: aliter apud iratos, aliter apud ſedatos.

5. Aliter cum doctis, prudentibus & longâ experientiâ confirmatis, quâm cum indoctis, rudibus & novitiis agendum.

6. Idem de ſenibus & juvenibus judicium eſt.

7. Nec minus inter ſe differunt divites & pauperes, principes & plebeij. Apud hos enim facile auctoritatem invenies: apud illos non item. Niſi (quod valde obſervandum eſt) non quod tibi, ſed quod alijs gravibus, prudentibus & magni nominis viris faciendum videtur, illorum potius quam tuis verbis

verbis videaris exprimere.

8. Nec eadem mulieribus quæ viris placent. Nec viri ijsdem argumentis, quibus mulieres capiuntur.

Atque hactenus de Inventione argumentorum cum generali, tum ſpeciali. Proximum Oratoris munus eſt Argumentorum jam inventorum Diſpoſitio, de qua libro ſequente.

LIBER

LIBER TERTIUS.

De [1] Dispositione.

CAP. I.

De Exordio.

DISPOSITIONI autem subjacet [2] quinque orationis partes [3] Exordium, Propositio, Confirmatio, Confutatio, Peroratio.

[4] Exordium reddat auditorem Docilem, Benevolum & attentum. Docilis redditur

perſpicuitate; Benevolus argumentis ſumptis à perſonâ Oratoris, Adverſarij, Auditorum: Attentus denique, ſi rerum gravitatem, & orationis brevitatem expectet.

Exordium eſt vel [5] Proœmium, vel [6] Inſinuatio.

1. Quæ eſt partium Orationis idoneâ ad perſuadendum collocatio. Ut enim nihil dicendum eſt, quod non idem faciat ad perſuadendum: Ita quæ dicuntur, eo tantum ordine locanda ſunt, qui ſcopo dicentis maximè inſerviat.

2. Non quod nunquam ſint nec plures, nec pauciores: Nam in themate ſimplici, nulla eſt confutatio; & in conjuncto ſæpe additur Narratio, ſexta Orationis pars: & in utroque aliquando deeſt Exordium, aliquando Peroratio.

3. Prima pars in analyſi, ſed poſt corpus com-

componenda: Non simpliciter necessaria, ut nec Peroratio, sed secundum quid.

4. Sumi potest Exordium, vel ex loco Generis, vel ex loco Similis, vel a Testimonio, aut Sententia; vel a circumstantiâ aliquâ, Temporis, Loci, aut Personarum, viz. Auditorum, Oratoris, Adversarij, &c.

Nota. Esto Exordium luculentum & breve. Non nimis vulgare aut commune, non nimis magnificum, nec exoticum, sive quod nullam habeat cum reliqua oratione affinitatem.

5. Quod vocatur Principium: quum apertis rationibus animum auditoris invadimus: quo utimur in causis honestis, aut ubi nihil præjudicij timemus.

6. Sive Exordium obliquum: quo utimur quum thema est vile, contemptibile & ridiculum: multò magis ubi causa potest videri turpis: vel quum aversam percipimus auditorum mentem: tunc enim hamum, non nisi escâ tectum, porrigere debet exordium.

CAP. II.

De reliquis Orationis partibus.

PROPOSITIO est vel [1] Simplex, vel [2] Digesta.

Confirmatio fit vel per [3] Enthymema, vel per [4] Syllogismum; [5] quibus addunt [6] Inductionẽ & [7] Exemplum.

Confutatio est vel [8] Directa, vel Indirecta, eaque vel [9] Retortione, vel [10] Rejectione, vel [11] Compensatione, vel levi [12] Elusione.

[13] Epilogus habeat tum brevem præcipuorum argumen-

mentorum [14] Recapitulationem, tum nervosam [15] Affectuum concitationem.

Atque hactenus Dispositio; sequitur dispositorum [16] Exornatio.

1. Quales sunt, *Dic mihi Musa virum* &c. *In nova fert animus*, &c. *Arma virumq; cano*, &c.

2. Quum proponimus aliquot capita pertractanda, ut plerumque in concionibus sactis. Sic in Philippicâ 7. & pro Manilià, & pro Roscio.

Nota I. Est & tertium genus quod vocant Sejunctum. Ut pro Milone, *Illud in judicium venit, non occisus ne sit (quod fatemur) sed jure ne an injuriâ.*

Nota II. Partitione aut in totum abstineat Orator, aut capita proponat quam pauciſſima: duo viz. aut tria; ad summum quatuor.

3. Quod constat duabus tantum partibus,

v. gr. Es hostis tuis; ergo alieni te deserent: vel sic, Si fueris crudelis tuis, non adhærebunt tibi alieni. Verba Salustij sic habent, *Quem alienum fidum invenies, si tuis hostis fueris?* Sic Cælius est bonis artibus addictus, ergo, non vivit luxuriosè.

4. Qui constat tribus partibus: v. g. Qui est bonis artibus addictus non vivit luxuriosè: Nam luxuria & bonæ artes non possunt simul consistere: Atqui Cælius est bonis artibus addictus: Nam audistis & vidistis egregia eloquentiæ ejus specimina: Ergo Cælius non vivit luxuriosè. At hic ordo in ipsius Tullij verbis invertitur, Oratione pro Cælio. Et plerumque Oratores vel ultimam, vel mediam partem Syllogismi ponunt in primo loco.

5. Atqui hæc duo genera possunt, vel ad Enthymema, vel ad Syllogismum revocari.

6. Quum ex varijs particularibus inducitur conclusio plerumque in simili: ut *Horat. Carm.* 2. 9. Non semper pluit, non semper flant venti, non semper gelat, non semper, &c. Ergo tu non debes semper deflere Mystem tuum. Vide *Is.* 36. 18. 19. 20. & 1. *Cor.* 9. 14.

7. Quum

7. Quum ex uno particulari, aliud propter similitudinem infertur: ut *Horat. Carm.* 1. 7. Teucer fuit bono animo in adversis. Ergo tu quoque fac simile: vide 2. *Sam.* 4. 9.

Nota. In Confirmatione agmen ducant argumenta firmissima, claudant vero infirmiora: in medio denique locentur quæ sunt infirmissima. Quòd si duo tantum sint argumenta, prius ponatur firmius, deinde infirmius, sed mox ad firmius illud recurrendum est.

8. Quum ostendimus in quo argumentum adversarij sit vitiosum; v. g. Occidit hominem, ergo debet mori. Respondetur negando sequi. Non enim debet mori si jure, & in suâ defensione latronem occiderit.

9. Quum retorquemus argumentum adversarij contra ipsum: v. g. Adstabas interfecto; ergo eum interfeciſti. R. Imo quia adstabam, inde apparet me eum non interfeciſſe: nam interfectores fugiunt.

10. Quum ostendimus ea quæ objiciuntur esse meras calumnias ex malevolentiâ ortas, adeoque responsione indignas. *Nehem.* 6, 8.

11. V. g. dicis me habuisse gladium. Quid? An non tu etiam gladium habuisti?

12. Quum evitamus, aut in aliud tempus rejicimus id quod non possumus refellere. Sic jocis aliquando utimur, ut videamur calumnias adversarij floccifacere. Aliquando in objurgationes, & execrationes erumpimus, ut videatur ipse adversarius responsione indignus.

13. Hæc pars potest omitti, ubi orationem oportet esse brevem: vel si res sit admodum tenuis. Possunt etiam esse plures epilogi in eâdem oratione: una viz. totius orationis, aliæ quarundam partium: (putâ Confirmationis, Confutationis, &c.) quæ debent esse brevissimæ.

14. Quæ non omnia, sed præcipua tantum argumenta resumat; ne sit nimis longa; & quasi nova oratio. Porro nec ijsdem utatur verbis: sed novo quodam ornatu, eoque splendidissimo: ne videatur quasi crambe recocta quæ nauseam pariat.

15. Qui autem affectus movendi sint dictum suprà, *Lib.* 2. *c* 12. Atque hic, si quid artificij habes, ostendas. Nam *non alijunde melius*

melius præstantem dignoscimus Oratorem quam ex Epilogo, ut olim dicebat Henricus IV. Galliarum Rex.

16. Quæ ad Elocutionem pertinet, de quâ lib. seq.

LIBER QUARTUS.

De Elocutione.

CAP. I.

De Tropis.

SECTIO I.

De Dignitate in genere.

AD Elocutionẽ pertinent 1 præcipuè Puritas & Dignitas. Puri-

[2] Puritatem parit [3] ſcriptorum puriſsimorum lectio aſ-aſsidua.

Dignitas ad Tropos & Figuras revocanda eſt.

Tropus eſt [4] Loci pro Loco poſitio. Eſtque [4] Synecdoche, [5] Metonymia, [5] Metaphora, [5] Ironia.

1. Præcipuè, inquam; Nam ſunt & alia, quæ, brevitatis gratiâ, prudens prætereo.

2. Quæ & Latinitas dicitur. Latinitati autem qui ſtudet, vitare debet Barbariſmos omnes & Solœciſmos, & quæcunque, vel a regulis grammaticæ, vel ab optimorum ſcriptorum exemplo diſſentiunt. Imo nec Archaiſmis indulgendum: nec, niſi multâ cum cautione adhibenda vocabula Nova aut a teipſo Novata: ut nec Græca, nec ulla Exotica. Technologica autem nullo pacto ſunt

in

in oratione audienda. Vitanda etiam est omnis obscuritas & structuræ ænigmaticæ. Imo & fugiendæ sunt expressiones Poëticæ. Nec quæ historicorum sunt propria ea statim sibi arripiat orator.

3. Inter quos si solum Tullium tibi familiarem feceris, aut qui ab ejus dictione proximè absunt, rectè facies: proximè autem ad Ciceronis stylum inter Historicos, accedunt Cæsar, Curtius. &c.

4. Id est quum vox unius Loci ponitur ad exprimendam rem alius Loci. Ut Bacchus quæ est vox Causæ ponitur ad exprimendum vinum, quod est ejus Causatum. Aut mors Causatum ponitur pro herba mortifera quæ est ejus Causa. 2. *Reg.* 4. 40.

5. Tropus igitur est quadruplex. vel enim est inter res tales quarum altera est de alterius essentiâ, quæ est Synecdoche: vel si altera non sit de alterius essentiâ, sed cum essentiâ jungatur, ibi erit Metonymia: vel si altera sit alteri similis tantum, ex ea similitudine gignitur Metaphora: Quod si oppositæ sint, alteram pro alterâ ponit Ironia.

SEC-

SECTIO II.

De Synecdoche.

SYNECDOCHE est quum eorum quæ ad Locum Distributionis pertinent alterum pro altero ponimus. viz. Totum pro Parte, Genus pro Specie, Individuum pro Specie, numerum certum pro Incerto, vel contrà.

Est ergo 1.[1] Generis, 2.[2] Speciei, 3.[3] Totius, 4.[4] Partis. 5.[5] Numeri certi, 6.[6] Numeri incerti. 7.[7] Nominis Proprij. 8.[8] Nominis appellativi.

1. *Prædicare omni creaturæ.* id est homini. *Fecit stultitiam in Israel.* id est adulterium. *Mortales.* id est homines. *Bellua* Neh. 2. pro equo. *Avis.* Eccl. 12. pro gallo gallinaceo. *Forma,* Terent. pro pulchritudine. *Quum faciam vitulâ.* Virg.

2. *Panem nostrum da nobis hodie.* Matth. 6. id est omnia necessaria. *Panem & Circenses.* Iuven. id est epulas & ludos. *Fluctibus Hadriæ.* Hor. id est maris. *Pocula Massici.* Idem, id est vini. *Qui amat patrem aut matrem,* Mat. 10. id est amicos aut res quaslibet charissimas.

3. *In ignotâ Palenure jacebis arenâ.* Virg. pro corpore ejus. *Recens a vulnere Dido occurrit.* Idem. pro animâ ejus. *Hodie eris mecum in paradiso.* Luc. 23. *Vt totus orbis censeretur.* Luc. 2. *Summaq; in rupe resedit.* pro summa parte rupis. *Ostendit ei omnes regiones mundi.* Matth. 4.

4. *O lepidum caput!* id est homo. *Os durum!* Terent. *Vngula* pro equo. Virg. *Octo animæ.* 1. Pet. 3. *Osque humerosque Deo similis.* Virg. *Immeritis franguntur crura caballis.* Iuven.

5. *Septies cadit justus.* Pr. 24. 16. *Septem*

spiri-

ſpiritus. Mat. 12. 45. *O terque quaterque beati.* Virg. *Si linguæ centum ſint, oraque centum.* Idem. *Plus millies jam audivi.* Terent. *Vatibus hic nos eſt centum ſibi poſcere voces; centum ora, & linguas optare in carmina centum.*

6. Sic numerus rotundus (ut vocant) ponitur pro numero certo. Ut *Iſrael fuit in Ægypto* 400 *annis*, id eſt plus minus 400. Ergo cum audis 400 annos, incertus es adhuc utrum fuerint plures an pauciores: donec dixero, præciſè loquendo fuiſſe 430. Sic in Ægyptum deſcendiſſe dicuntur 70 homines, per numerum rotundum, & incertum. *Gen.* 46. 27. quum tamen præciſè loquendo certus numerus ſit 75. *Act.* 7. 14. Sic 70. Interpretes ita dicuntur per numerum rotundum, quia non multò plures fuerunt; certus autem numerus fuit 72.

7. *Eia mea Iuno, non decet te eſſe tam triſtem tuo Iovi.* Plaut. pro uxore & marito. *Parta meæ veneri ſunt munera.* Virg. *Paſtillos Ruphillus olet, Gorgonius hircum.* Horat. *Tyrus, Sidon & Sodoma.* Matth. 11. 22. 23. *Reddite Cæſari quæ ſunt Cæſaris*, Matth. 22. 21. *Abraham neſcit nos.* Iſ. 63. 16. *Noah, Daniel & Iob. Ezek.* 14. 14.

8. *Ar-*

8. *Arma virumq; cano*, *Virg.* id est Æneam. Sic *Apostolus*, *Poëta*, *Orator*, pro Paulo, Virgilio, Cicerone. *Conclamat vates*, *Virg.* pro Sybilla. *Tros Anchisiades. Multa viri virtus. Natæ Dea*, *Virg. Exegit virum*, *Gen.* 3.24. *De quo loquitur Propheta? Act.* 8. 34.

SECTIO III.

De Ironiâ.

IRONIA est, quum [1] dissentaneorum alterum pro altero ponitur.

1. De quibus *Lib.* 2. *c.* 6. *Est instar nostri*: *Gen.* 3. id est. Non est reverâ, sed suâ intentione. *Dormite*, *Matth.* 26. id est ne dormite, vel pudeat vos dormire nunc, quum est maximè vigilandum. *Saturati estis*, 1. *Cor.* 4. 8. id est, ita vobis videmini, sed falsò. *Ingentem equitem*, *Vives*, id est, parvum. *Scilicet is superis labor est*, *Virg.* pro non est. *Perpulchra verò dona*, *Terent.* id est sordida. I nunc & *juvenis*

venis specie lætare tui, Iuven. Sat. 10. *I sequere Italiam ventis*, Virg. *Lætare, O juvenis*, Eccl. 11. 9.

SECTIO IV.

De Metaphorâ.

METAPHORA est, quum Comparatorum in simili alterum pro altero ponitur.

1. *Deus descendit*, Gen. 11. *Exurge, O Domine*, Psal. 3. *Manus Domini*, *Auris Domini*, Is. 59. 1. *Homo homini lupus*, Terent. *Ego in portu navigo*, Idem. *Igniti serpentes*, Num. 21. *Ardebat murice lena*, Virg. *Cæco carpitur igni*, Idem. *Magna est fornacula*, Iuv. *Occisa est hæc res*, Plaut.

SEC-

SECTIO V.

De Metonymiâ.

METONYMIA est, quum Locus unus Consentaneus pro alio ponitur, putà Causa pro Causato, Subjectum pro Adjuncto, Antecedens pro Consequente: vel contrà.

Est ergo septuplex.

Primò Causæ; eaque vel [1] Efficientis, vel [2] Materiæ, vel [3] Formæ, vel [4] Finis.

Secundò [5] Causati.

Tertiò [6] Subjecti, quæ est [6] multiplex.

Quartò [7] Adjuncti, quæ est etiam multiplex.

Quinto [8] Antecedentis.

Sexto [9] Consequentis.

1. Principalis quidem, ut *Spiritus*, *Ioel.* 2. 28. pro donis spiritualibus. *Moses & Prophetæ*, *Luc.* 16. 28. pro scriptis eorum. *Sine Cerere & Baccho friget Venus*, Terent. *Levitas multitudinis*, Cic. Milone pro tumultu. Instrumentalis verò, vt *Gladius*, *Matth.* 10. 34. pro bello. *Labium*, *Gen.* 11. 1. pro sermone: sic *Lingua*, *Marc.* 16. 17. *Agnovi charamq; manum gemmasq; fideles*, *Ovid. Epist.*

2. *Semen mulieris*, *Gen.* 3. 35. pro filio. *Lignum*, 1. *Pet.* 2. 24. pro cruce. *Vulcanum in cornu conclusum geris*, *Plaut. Amph.* pro laternâ corneâ. *Implerunt cornua bombis*, *Pers.* pro tubis.

3. *Vt Octo animæ*, 1. *Pet.* 3. 20. Sed hæc species plerumque refertur ad Synecdochen partis: est enim Forma pars compositi.

4. *Eucharistia* pro Cœnâ Domini. Custodia

stodia pro custodibus. Tutela pro tutoribus. Atque hæc etiam pertinent ad Metonymiam Causati. Nam plerumque finis idem est cum effecto.

5. *Duæ gentes*, *Gen.* 25. 23. pro capitibus duarum gentium. *Septem spiritus*, *Apoc.* 1. 4. pro Sp. sancto, septem Ecclesiarum auctore. *Palleat infelix quod proxima nesciat uxor*, *Pers.* id est timeat. *Miror quid abierit*, *Terent. Eunuch.* pro ignoro. *Pluam panes*, *Exod.* 16. 5. pro Manna. *Serta mihi Phyllis legeret*, *Virg. Eclog.* 10. id est flores. *Nec habeat Pelion umbras*, *Ovid.* id est arbores umbriferas. *Si mors Clodij salus vestra fuerit*, *Cic. Mil.* pro causâ salutis. *Christus qui est vita*, *Col.* 3. 4.

6. Primò *Inhæsionis*. *Pectus* pro corde. *O te Bolane, cerebri felicem*, *Horat.* id est mentis. *Bibere poculum*, *Matth.* 26. 42. *Benedictum canistrum tuum*, *Deut.* 20. 25. id est panis. *Effundam hydriam*, *Gen.* 24. 20. id est aquam. *Tota domus*, *Gen.* 7. 1. id est domestici. *Eccitat nidum*, *Deut.* 32. 11. id est pullos. *Væ tibi Chorazin*, *Matth.* 11. id est incolis.

Secundò *Adhæsionis*. *Terra erat corrupta*, id est incolæ. *Comederunt Iacobum*, *Ps.* 79. 7. id

est opes ejº. *Iamne illũ comesurº es? Plaut. Pseud.*

Tertiò *Occupans. Dedit mihi petitionẽ meam.* 2. Sam. 1. 27. id est rem petitam. *Spes dilata affligit. Pr.* 12. 13. id est res sperata. *Formosam resonare doces Amaryllida sylvas, Inter arma silent leges, Cic.* id est judices.

Huc pertinet *Signum pro signato. Hoc est corpus meum. Hoc est fœdus, Gen.* 17, 10. *Septem vaccæ sunt septem anni, Gen.* 41, 26. id est significant. *Petra erat Christus, 1. Cor.* 10. 3. *Victimæ sunt expiationes, Lev* 4. 31. *Agnus est transitus, Exod.* 12. 11. *Sabbatum est pactum, Exod.* 31. 13.

7. *Iuravit per pavorem Isaaci, Gen.* 31. 53. id est per Deum. *Electio, Rom.* 11. 7. id est electi. *Deus justificat circumcisionem, Rom.* 13, 30. id est circumcisos. *Christus factus est execratio, Gal.* 3. 13 *Scelus*, Terent. *Pubes.* Virg. *In tenebras exteriores, Matth* 22. 12. id est in locum tenebrarum. *Cæci vident, Matth.* 11. 5. id est qui erant cœci. *Infelix virgo, Virg.* id est tu quæ fuisti virgo. *Virgo verò, Terent.* id est vir virgineis moribus. *Væ ætati tuæ, Plaut.* id est tibi ipsi.

8. *Fuimus Troes, fuit Ilium*, Virg. *Tegere pedes*

pedes Iudic. 3. 24. pro exonerare alvum.

9. *Mox adero*, id est veniam vel revertar. *Et motæ ad lunam trepidabis arundinis umbram*, *Iuven.* 10. id est timebis. *Cras eris mecum*, 1. *Sam.* 28. 19. id est morieris.

CAP. II.

De Affectionibus Troporum.

AFFICITUR Tropus[1] tribus proprietatibus, viz. Multiplicatione, Excessu, Defectu.

Multiplicantur Tropi, vel in Oratione, & est[2] Allegoria, vel in Dictione, & est[3] Metalepsis.

Excessus in Tropo, est[4] Hyperbole.

Defectus in Tropo, est[5] Meiosis.

1. Aliud est aliorum super hac re judicium. Nos verò tyronum gratiâ id quod maximè in usu est eligemus.

2. Quum tota oratio aut magna ejus pars constat quâdam congerie troporum, continuè multiplicatorum: quales sunt Parabolæ illæ in Evangelio, de Seminatore, de Virginibus, de Talentis, &c. *Matth.* 13 & 25. *Luc.* 15. *Ps* 45. Sic Canticum Solomonis. *Crescit indulgens sibi dirus hydrops, nec*, &c. *Horat. carm* 2. 2. *O navis referent in mare te novi fluctus*, *Idem, carm.* 1. 14. Allegoriæ metaphoricæ *Iam nunc minaci murmure cornuum*, *Horat. carm.* 2. 1. Allegoria metonymica. *Clamate*, 1. *Reg* 18. 27. Allegoria ironica. *Quid tibi Pisandrum, Polybumq́, Medontaq́, dirum, atque alios referam? Ovid. Epist.* Allegoria ironica. *Ocium divos rogat in patenti prensus Ægæo*, *Horat. carm.* 2. 16. Alleg synecd. *Omnibus in terris quæ sunt à Gadibus usque auroram & Gangem.* Alleg. synec.

3. Quando plures tropi necessario adhibendi sunt in explicatione unius dictionis: ut, *Abditæ terris inimice lamnæ. Horat. Carm.* 2. 2. Primo enim per laminam non intelligit lami-

laminam quamlibet, sed argenteam: & ea est Synecdoche generis. Deinde per laminam argenteam intelligit nummos ex ea factos: metonymia materiæ. *Ardet adoratum populo caput. Iuven.* 10. Ubi caput pro toto Sejano. Synecdoche partis. Sejanus autem pro imagine Sejani. Metonymia signati. *Vbi vivos homines mortui incursant boves. Plaut.* Boves pro tergore; & tergus pro flagellis ex tergore factis. *Bibere poculum. Matth.* 26. 42. Poculum pro liquore, liquor pro afflictione & ira dei. Synec. & Metaph. *Non relinques animam meam in sepulchro. Act.* 2. 27. anima pro homine, homo pro corpore, duplex Synecdoche.

4. Quum magis dicimus quam significamus. *Manus marmorea.* Martial. Hyperbole metaphorica. *Plus millies jam audivi.* Terent. Eun. Hyperb. Syn. *Canaan fluit lacte & melle. Deut.* 26. 15. Hyperb. Meton: effecti, & Synec. spec. adeoque mixta.

Nota. Hyperbole non semper est tropica, etsi semper figurata, occurrit enim sæpe in vocibus proprijs, & tunc est figura dictionis, ut *nive candidior. Ascendunt ad cælos.* Ps. 107.

5. Quum minus dicitur quàm significatur. ut *Dulichias vexasse rates*, pro laceraſſe. Synec. generis. *Tractim tangam ut dormias*, Plaut. Amph. pro ut moriaris.

Nota. Hæc etiam ſæpe occurrit ſine tropo. ut, *Bethlehem non minima*, Matth. 2. 6. *Non laudo.* Terent. And. *Non ſum neſcius.* Cic. id eſt perfectiſſimè novi.

CAP. III.

De Figuris dictionis.

HActenus Tropi; ſequuntur Figuræ: quæ ſunt vel Dictionis, vel Sententiæ.

Figura Dictionis repetit dictionem, vel eandem, vel ſimilem.

Eandem repetit immediatè

Epi-

[1] Epizeuxis; mediatè quæ ſequuntur, viz. in initio quidem [2] Anaphora, in fine vero [3] Epiſtrophe, (ex quibus conjunctis fit [4] Symploce:) in initio prioris clauſulæ & in fine poſterioris, [5] Epanalepſis; in fine prioris & in initio poſterioris, [6] Anadiploſis; indifferenter in initio, medio & fine, ſed ordine duarum vocum inverſo, [7] Epanodos; vel cum mutatione caſus, [8] Polyptoton.

Similem reſpectu totius vocis repetit [9] Paronomaſia: reſpectu caſus vero, [10] Homoiop-

moioptoton: respectu terminationis denique, [11] Homoioteleuton.

1. *Deus mi, Deus mi,* Ps. 22. 1. *O Absolon, Absolon,* 2. Sam. 18. 33. *Tunc tunc ignoscite,* Pers. *Anna soror, soror Anna. Samuel Samuel. Væ væ. væ. O terra, terra, terra, audi verbum Domini.* Ier. 22. 29.

2. *Tu mihi quodcunque hoc regni est, tu sceptra Iovemque concilias, tu dis epulis accumbens Divûm.* Virg. *Hæc ut ames faciunt, hæc quæ fecere tuentur, hæc sunt jucundi causa cibusque mali.* Ovid. Remed. *Charitas,* &c. 1. Cor. 13. *Fide.* Heb. 11. *Benedictus* Deut. 28. *Vox Domini.* Ps. 29.

3. *Duodecem millia.* Apoc. 7. *Iam sumus ergo pares.* Martial. Epig. 2. 18. *Pænos populus Romanus justitia vincit, armis vincit, liberalitate vincit.* Cic. Huc refer versus quos vocant intercalares. ut, *Incipe Menalios mecum mea tibia versus.* Virg. vide Ps. 138. 1. 2. &c. Ps. 107. 8. 15. 21. 31.

4. *Quis eos postulavit? Appius. quis pro-*

duxit

duxit? Appius. Quis &c. Cic. Mil. vide Pſ. 139. 9. Deut. 27. 15. &c. 2. Cor. 11. 22.

5. *Ambo florentes ætatibus, Arcades ambo,* Virg. *Virtus omnia in ſe habet: omnia ei aſſunt quem penes eſt virtus,* Plaut. Amph. Pſal. 27. 14.

6. *Cui pharetra ex auro, crines nodantur in aurum: aurea purpuream ſubnectit fibula veſtem,* Virg. Æn. 4. *Gallo, Gallo cujus amor,* &c. Idem. *Ieruſalem, Ieruſalem.* Pſal. 122. 2.

7. *Hanc ſibi negat cognatam Demipho? Hanc Demipho negat eſſe cognatam?* Terent. *Crudelis tu quoque mater: Crudelis mater magis, an puer improbus ille? Improbus ille puer, crudelis tu quoque mater.* Virg Ecl. 8. *Heu noxia tu quoque conjunx Noxia tu conjunx magis, an draco perfidus ille? Perfidus ille draco, ſed noxia tu quoque conjunx.* Num. 12. 1. Iſ. 19 23.

8 *Heu quantum ſcelus eſt in viſcere viſcera condi?* Ovid. Met. 6. *A fide ad fidem, per fidem,* Rom. 1. 17. *Perieramus, niſi periiſſemus,* Item. *Si quis iſtorum dixiſſet multo plura dixiſſe, quam dixiſſet, videretur: At ego, etiam ſi omnia quæ dicenda ſunt dixero,* &c. Cic.

9. *Non vox, ſed votum, non chordula muſica,*

ſed

ſed cor; non clamans, ſed amans cantat in aure Dei. Item. *Inceptio eſt amentium non amantium,* Ter. *Conciſio, Circumciſio,* Phil. 3. 2. 3.

10. *Dum ætas, metus, magiſter prohibebant,* Ter. Gal. 5. 19.

11. *Nec niſi finitâ per plurima vulnera vitâ, ira pharetratæ fertur ſatiata Dianæ.* Ovid. *Caſeus & panis ſunt optima fercula ſanis. Si non ſunt ſani, tunc hunc ne jungito pani.* Schola Salern.

CAP. IV.

De Figuris Sententiæ.

FIGURAE ſententiæ ſunt duplices.

Primo, extra dialogiſmum, [1] Exclamatio, [2] Epiphonema, [3] Epanorthoſis, [4] Apoſtrophe, [5] Proſopopeia.

Secundo

Secundo, in dialogiſmo, [6] Aporia, [7] Anacænoſis, [8] Prolepſis, [9] Epitrope.

Hæ omnes ad movendos affectus mirificè conducunt.

1. *Dij immortales, homini homo quid præſtat!* Ter. *O terq́ quaterq́ beati, queis ante ora patrum.* &c. Virg. *O Abyſſum!* Rom. 11. 33.

2. *Sic pereant omnes inimici tui, Domine,* Iud. 5. 31. *Beati qui ſperant in eo,* Pſal. 2. 12. *Trahit ſua quemq́ voluptas.* Virg. Ecl. 2. *Quid non mortalia pectora cogis, auri ſacra fames?* Virg. Æn. 3.

3. *Sed ſtulti ſumus qui Druſum cum Clodio conferre audeamus,* Cic. Mil. *Copioſius quam illi omnes laboravi. At non ego ſed,* &c. 1. Cor. 15. 10. *Me ſolum relinquetis. Atqui non ſum ſolus.* Ioan. 16. 32.

4. *Ante, fides quam te violem.* Virg. Æn. 4. *Vos O clariſſima mundi lumina,* Idem Georg. 1. *Muſa mihi cauſas memora.* Idem Æn. 1. *Vos, vos appello.* Cic. Mil. *Et tu Capernaum,* Matth. 11.

11. 23. *O Ieruſalem, Ieruſalem.* Matth. 23. Huc ſpectant Ejaculationes in ſacra Scriptura. ut, *Expectavi ſalutem tuam.* Gen. 49. 18. Pſ. 33. 22.

5. *Patria tua, Catilina, tecum ſic agit, & quodammodo tacita loquitur. Nullum jam facinus per tot annos extitit niſi per te,* &c. Cic. *Stellæ vocatæ, dixerunt adſumus.* Baruc. 3. 34. *Equus dicit inter tubas ha, ha.* Iob. 39. 25. Iſ. 14. 8. 9. Iudic. 9. 8.

6. *Quid, malum non ego ſum Amphitruonis Soſia? Nonne? nonne,* &c. Plaut. Amph. *Quid dicemus igitur?* Rom. 9. 14. *Quid faciam?* Luc. 16. 3. *Quid loquor? aut ubi ſum? quæ mentem inſania mutat?* Virg. Æn. 4.

7. *Nunc ego, Iudices, jam vos conſulo, quid mihi faciendum putetis.* Cic. Verr. *Quid vultis? an veniam ad vos cum virgâ?* &c. 1. Cor. 4. ult.

8. *Verum anceps pugnæ fuerat fortuna, fuiſſet quem metui moritura?* Virg. Æn. 4. *Sed dicet aliquis; quomodo excitantur mortui? fatue, quod tu ſeris,* &c. 1. Cor. 15. 35.

9. *Non dabitur regnis (eſto) prohibere Latinus. At trahere atque moram tantis licet addere rebus.* Sic, *Eſto ægram nulli quondam*

flexere

flexerè mariti, &c. Virg. Æneid. 4. 2. Cor. 11. 16.

Atque hæ ſunt figuræ præcipuæ. Plures recenſere non expedit, ne Rhetoricæ diſcipuli nimiâ multitudine confundantur potius quam doceantur. Quemadmodum nec expedire videbatur ſingulis figuris ſuas etymologias ac definitiones annectere: quippe quas jam didiciſſe tyrones præſumimus, quicunque Grammaticæ Deſpauterianæ compendium emenſi ſunt.

LIBER

LIBER QUINTUS.

De * Pronunciatione.

CAP. I.

De Voce.

PRONUNCIATIONIS partes ſunt [1] duæ, [2] altera Vocis, [2] altera Geſtus moderatrix.

Voci moderandæ inſerviunt præcepta duplicia, quorum alia totam orationem, alia partes ejus reſpiciunt.

Priora ſunt vel de [3] quali-

tate, vel de quantitate vocis in totâ oratione. Qualitates sunt [4] Claritas & [5] Varietas. Quantitatis sunt duæ regulæ. 1. [6] Ut conformetur multitudini, vel paucitati auditorum. 2. [7] Ut medium teneat inter intensissimam, & maximè remissam.

Posteriora respiciunt partes orationis triplices, Majores, Minores, Minimas.

Majores sunt [8] Exordium, Propositio, &c.

Minores sunt [9] sententiæ.

*M*inimæ sunt [10] voces & [10] syllabæ.

* Quæ & Actio dicitur.

Nota. I. Est hæc præcipua Rhetoricæ pars: agit enim de præcipuo Oratoris munere & ornamento. Hujus igitur studio, ante omnia, incumbat Rhetoricæ discipulus. Nam quid prodest argumenta invenisse, inventa disposuisse, disposita exornâsse, si tandem malâ pronunciatione omnia disperdas? Malo mediocrem orationem, modò bene pronunciata sit, quam malè pronunciatam optimam. Unde Martialis, *Quem recitas*, inquit, *meus est, O Fidentine libellus: Sed malè quum recitat, incipit esse tuus.* Et quum audivisset Latinerus unam ex Homilijs suis à plagiario quodam malè pronunciatam, *Habuit*, inquit, *plectrum meum, sed caruit resinâ.*

Nota II. Ad hanc partem multa requiruntur naturæ dona, ab Oratore diligenter attendenda, viz. cerebrum sanum, sedatus animus, clara vox, robusta latera, lingua volubilis, dentes benè compositi, manus agilis, corpus procerum, facies decora, imprimis autem memoria tenax: Quorum omnium si quid deest, vel saltem minus est quàm oportet, operam dabis ut aut corrigatur aut saltem tegatur.

1. Quem-

1. Quemadmodum duo ſunt ſenſus, per quos omnis ad animum penetrat affectus, auditus putà & viſus.

2. De quâ utrâque obſervandæ ſunt hæ regulæ generales. 1. Ne vel in exceſſu pecces, nimiâ quâdam & affectatâ pronunciatione, vel in defectu, ruſticâ illâ negligentiâ, quæ (modò dixerit) quomodo dicendum fuerit nihil penſi habet. 2. Ut nec vox, nec geſtus animum præcurrat, aut inſtar equi ferocientis, excuſſis habenis, per præcipitia ruat: ſed rectam rationem, tanquam monitricem Licinij fiſtulam audiat & ſequatur: cujus ope, ſimul ac videris actionis rotas effuſè nimis decurrentes, eas ſtatim ſufflamines atque ad mediocritatem reducas. 3. Ut in prima tyrocinio ita pronunciare aſſuefcas, nequem habitum contrahas indecorum, qui nequeat facilè in poſterum emendari. *Habitus* enim (ut aiunt) *eſt altera natura*. 4. Ut oratiunculam teneas memoriâ quam perfectiſſimè, priuſquam cæperis actioni operam dare: alioquí intentus memoriæ, actionem negliges.

3. Ad quam perficiendam non natura modò, ſed & cura requiritur. Quemadmodum

per incuriam non ſolum vox, ſed & reliquæ naturæ dona miſerrimè corrumpuntur.

4. Clara autem ſit vox, non tantum quatenus eſt vox (ut vox campanæ, vel bovis) ſed quatenus eſt vox articulata, ſive Sermo. Ergo ad claritatem pertinet Diſtincta & Audibilis ſingularum ſyllabarum pronunciatio. Primo, Diſtincta. Ergo abſurdiſſimè peccant, qui vel incuriâ, vel affectatâ quadam ſingularitate, ita pronunciant ut vix intelligas quid dicant. Deinde Audibilis. Contra quàm faciunt qui ſyllabas quaſdam (plerumque in fine dictionum, aut ſententiarum nonnunquam etiam alibi) voce adeo remiſſâ ſubmurmurant, ut, de toto pronunciato, conjectandum ſit auditori, potius quam judicandum.

5. Quæ in dicendo non minus neceſſaria eſt, quàm Characterum, Accentuum, Literarumque majuſcularum, atque minuſcularum obſervatio in ſcribendo. Fugienda igitur eſt μονοτονία illa puerilis, quæ omnia verba, omnes ſyllabas & ſententias eodem ſono, eodem ſpiritu occinit.

6. Quamobrem æque abſurdè agunt, & qui paucis præſentibus clamant, & qui in maxima

maximâ auditorum coronâ ita muſſitant, ut à paucis duntaxat proximè aſſiſtentibus audiantur.

7. Nam ut ibi periculum eſt ne rumpatur, ita hic, aut non audietur, aut non movebit auditores.

8. Sit vox in initio ſubmiſſior (ita tamen ut ſit audibilis) poſtea magis inſurgat. In Narratione ſit plana & aperta: in Confirmatione & Confutatione acrior: in Epilogo excitata, quaſi jam partâ victoriâ.

9. Quarum aliæ alios affectus exprimunt, alijs etiam atque alijs ſchematibus exornatæ: quocirca aliam atque aliam vocem poſtulant. Quis enim tam fatuus eſt ut neſciat vocem eſſe variandam in pronunciatione harum & ſimilium ſententiarum.

Nec tibi Diva parens, generis nec Dardanus auctor
Perfide ſed duris genuit te cautibus horrens
Caucaſus, Hircanæq́ admorunt ubera tigres.

Et

Totus, Parmeno, tremo horreoq́ poſtquam adſpexi hanc.

Et

——— *Per ego has lachrymas dextrámque tuam te*
(Quando aliud mihi jam miſeræ, nihil ipſa reliqui)
Per connubia noſtra, per inceptos Hymenæos,
Oro, &c.

10. Illarum enim quædam ſunt emphaticæ, emphaticωs pronunciandæ. Harum verò accentus varius variam quoque vocem poſtulat.

CAP. II.

De Geſtu Corporis.

1 GEstus regulæ aliæ reſpiciunt totum corpus, aliæ certas ejus partes.

Totius corporis ſtatus ſit 2 erectus & 3 ſtabilis, niſi quum res poſtulat 4 virilem

in latera inflexionem.

Partes corporis præcipuè attendendæ sunt [5] Caput, [6] Vultus, [7] Oculi, [8] Frons, [8] Nares, [8] Labra, [9] Cervix, [10] Humeri, [11] Brachia, [12] Manus, [13] Digiti, [14] Pectus, [14] Venter, [14] Femur, [14] Pes.

1. Quem Tullius rectè vocat corporis sermonem & eloquentiam: Cui & ipse tantopere studuit, ut ejus magistros eligeret sibi duos histriones, alterum Comœdum, Tragœdum alterum. Quanta autem sit gestus vis, abundè testatur Pantomimorum dexteritas, qui sine voce, omnia solo gestu spectantibus eloquebantur.

2. Id est, nec pronus, nec supinus.

3. Id est medium tenens inter sexeam immobilitatem & saltationem histrionicam.

4. Non qualis est histrionum in scenâ:

ſed quæ militem in armis, aut athletam in paleſtrâ deceat. Damnanda eſt etiam indecora illa corporis in alterutrum latus incurvatio, quæ præbuit Iulio occaſionem interrogandi de Curione, *quis loqueretur è lintre.*

5. Capitis vacillatio, inter dicendum, eſt imprimis vitanda.

6. Vultus ſit qualem fecit natura, quæ *Os homini ſublime dedit*; hilaris plerumque, & lætior quam triſtior; niſi quum res poſtulat triſtitiam. Paululum verò demiſſus (maximè in initio) non malè verecundiam & gravitatem ſignificat, ut Dido *vultum demiſſa profatur.* Æn. 1. Et Ulyſſes *oculos paulum tellure moratos ſuſtulit ad proceres.* Ovid. Met. 13.

7. Oculus reliquum corporis geſtum comitetur: niſi quum aliquid averſamur. ut, *haud equidem tali me dignor honore.* Et *Dij talem terris avertite peſtem.* Perperam igitur facit qui, dum homines alloquitur, oculos tenet in parietem defixos.

8. Frontem aut Nares corrugare, aut Labra exporrigere, aſtringere, diducere, diſtorquere omninò pudeat.

9. Cervix ſit recta: non tamen immobilis.

10. Hu-

10. Humeros decet esse firmos; & motus fere expertes.

11. Brachio dextro quam siniſtro magis utendum.

12. Manus est præcipuum actionis instrumentum: cujus motus sunt pene innumeri; quorum non ultimus est qui a siniſtro incipit latere, & dextro deponitur.

13. Digitorum gestus etiam varij sunt, maximè autem communis est quo medius digitus in pollicem contrahitur, explicatis reliquis: vel si quatuor primis leviter in summum coeuntibus, non procul ab ore, aut pectore, feratur ad nos manus, ac deinde prona & paululum prolata laxetur.

14. Pectus & Ventrem projicere non decet: imo nec Pectus aut Femur ferire. Omnium autem maximè indecorum est Pedibus insistendo alternis, nunc in dextrum nunc in siniſtrum latus vacillare.

Cæterum omnia hæc imitatione melius quam præceptis ediscenda sunt. Nam (ut

ait

ait Poëta) *Serius irritant animos demissa per aures, quàm quæ sunt oculis subjecta fidelibus, & quæ ipse sibi tradit spectator.*

Deligas ergo tibi egregium aliquem oratorem, & quem maximè suspicis, cujus actionem quam diligentissimè observes, memoriâ teneas, ac tibi ipsi in exemplum proponas. Aut si hunc solâ Voce, illum Gestu corporis duntaxat, Oculorúmve aut Manuum motu observaveris præcellere, tunc ex duobus aut tribus partialibus paradigmatis, unum tibi conficies totale, cui constanter adhæreas. Cavendum autem ne desultoriâ levitate, nunc hunc nunc illum imiteris: sic enim tibi continget quod de Picis fabulantur Poëtæ, quæ nunc has nunc illas aves imitatæ, omnem tandem rectè incedendi formam amiserunt.

FINIS.

AD LECTOREM.

Siquid incorrectius in hoc opusculo deprehenderis, id non incuriæ, sed aliorum potius negotiorum distractionibus imputabis. Vale.

R. B.

Collated & complete
D.D. Bernard Quaritch Ltd
JGJ